

05

A

938



MURI BABYLONIS

Romanæ,

Hoc Est,

CONFICTA RELI-
GIONIS PAPISTICÆ FUN-
DAMENTA XII. à JESU VVITA

IACOBO REIHING
quodam nuper explicata, sub titulo;

MURI CIVITATIS SANCTÆ,

*Quorum demolitionem, succinctis thesibus
comprehensam,*

Sub auspicijs Sacrosanctæ Trinitatis,

PRÆSIDE

BALTHASARE MEISNERO

Dreldensi, SS. Th. D. & Profes-
sore P.

Pro summo in Theologia gradu consequendo

Publicè defendet

M. JOHANNES RODENBORCH

Antverpianus, Humanitatis Poeticæ
Profess P.

Ad d. ult. Junij horis ante- & pomeridianis.

Wittebergæ Typis Johannis Gormanni Anno 1615.



05 A 938



A. A.

DEMOLITIO MURORUM BABYLONICORUM.

Thesis I.



Aluberrimum summeq; necessarium est præceptum, quod Sanctus & Verus, qui habet clavem David, in divinâ Apocalypsi, præscripsit c. 3, v. 11. *νεγιτς ο̄ ε̄χει, Tene quod habes.* Multa verò sunt, quæ non habere tantum, sed etiam retinere nos oportet, inter quæ Christianismus, & veræ fidei professio vel maximè excellit. Si credidisti verbo Domini; Tene fidem, quam habes, ne coronam justitiæ amittas. *Vera fides non deserenda, sed tenenda est.* Non sufficit habuisse: Tenendum est, quod accepisti. Sic currite, ut comprehendatis, 1. Cor. 9, vers. 24. Qui vicerit, columna erit in domo Altissimi, Apoc. 3, v. 12. Ineptus est regno Dei, qui respicit retrò, Luc. 9, v. ult. Non perveniunt in terram promissionis, qui redire cogitant in Ægyptum afflictionis. O miseros, qui constanter non tenent, quod divinâ concessione habent. O felices, qui veritatem prudenter eligunt, tranquillè possident, & animosè retinent!

II.

Verùm proh dolor, pauci divinæ istius regulæ sunt memores. Quod habent, non tenent: à fide, quam professi sunt, imprudenter resiliunt, & vel metu persecutionum in vera; vel spe dignitatum in falsa Ecclesia, summo cum animæ detrimento

to retrospiciunt, viamq; veritatis, non absq; insigni inconstan-
tia deserunt.

III.

Princ: *Century*:

Triste exemplū
defectionis.

Tam triste & insperatum exemplum vidit anno superi-
ori Ecclesia Catholica, quando *præcipuus Romani Imperij Princeps*,
Papisticis dolis circumventus, à fidei veræ professione defecit,
nec constanter tenuit, quod pio tranquilloq; animo per multos
annos habuit. O casum tragicum, largisq; lachrymis deploran-
dum, qui cedit infirmis in scandalum, confirmatis in opprobri-
um, utrisq; in doloris augmentum!

IV.

Interim solatur nos hoc cumprimis, quod factæ dif-
fessionis rationes ejusmodi allegentur, quæ jamdudum protritæ,
omni nervo destitutæ, & solutu facilimæ sunt ideoq; nullum
cordatum ad imitationem excitare possunt sed potius pravita-
tem causæ, & infirmitatem Pap sticæ religionis luculenter in-
dicant. Recensuit & prolixius explicavit illas *Jacobus Reihing*, ex
ordine Christo Jesu sub societatis nomine adversantium, fecit-
que titulum, *Muri civitatis sanctæ*. Hoc est, *religionis Catholice funda-
menta duodecim*. Desumpsit titulum ex Johannitica visione cœle-
stis Hierosolymæ, *Apoc. 21*. Per illam enim Ecclesiam Romanam;
per murum, Ecclesiæ fidem; per fundamenta, fidei rationes adum-
brari existimat, quas ipse vocat *solidissimas, quibus cuiq; prudenti per-
suasissima fiat religio Papistica*. Verùm si demas cincinnos Rhe-
toricos & detorta Patrum testimonia, nihil, quod speciem ha-
beat, animumque movere queat, amplius manebit reliquum,
ut vel maximè mirum sit, Principem tam pium & prudentem,
leviculis istis ratiunculis ad defectionem adduci potuisse.

Summa libri
cui titulus
Muri civita-
tis sanctæ.

V.

Prætendit enim 1. falsorum dogmatum impositionem,
qualia non tradantur à Papicolis. 2. Ecclesiæ in Scripturis
interpretandis Magisterium. 3. Apostolicam originem.
4. Petri primatum. 5. Romanorum Pontificum suc-
cessionem. 6. Conciliorum auctoritatem. 7. Patrum con-
sensum. 8. Cultorum sanctitatem & miracula. 9. Nomen
Ecclesiæ Catholice. 10. Concordiam & unitatem Romanen-
sium

sum, quibus subjungit u. se, nisi sequatur Ecclesiam Papisticam, reum fore inexcusabilis imprudentiæ, & 12. extremæ superbiæ: quæ duo postrema membra non tam nova & distincta fundamenta, quàm conclusiones sunt, ex prioribus collecta, ideoque numerus argumentorum non satis respondet gemmeis distinctisq; fundamentis Apocalypticis, quippe quorum memorantur duodecim, Apoc. 21, v. 14. rationes autem pro fide Papali, re ipsâ diversa, non nisi decem afferuntur.

VI.

Quantumvis verò jamdudum ad istas ratiunculas plene planeq; responsum sit, attamen cum Jesuvvita sibi valde videatur sapiens, & meros ob id triumphos passim decantet, operæ dispendium non fore arbitrati sumus, si fictam murorum Papisticorum soliditatem paulò pressius consideremus, & quàm nulla sit, cuius rectè judicanti, breviter aperiemus. Nec enim patitur positionum ratio, ut prolixi simus, & quasvis *λοιδόειας* Reihingi. (quippe cui dicta in primis volumus, quæ dicentur) fusiùs attingamus: sed satis erit, vanitatem argumentorum vel indice tantum digito monstrasse, ne ijs, qui plenam refutationem fortè adornaturi sunt, materiam præripuisse videamur.

VII.

Priusquam verò in specie ad argumenta Jesuvvita respondeamus, placet in genere nonnulla adducere, quæ ratiunculas istas si non penitus enervant, ad minimum tamen suspectas reddunt. Dicimus E. fundamenta illa Papalis fidei si non ex toto, ex parte tamen esse 1. *ἀγχαφα*. 2. *Secundaria*. 3. *Exoterica*. 4. *Falibilia*. 5. *Nimis generalia & communia*. 6. *Cognitu difficilia*. 7. *Pharisaica*. 8. *divinis assertionibus contraria*. 9. *fraudulenta*. 10. *humana*; quæ omnia pro ratione instituti breviter demonstrare fert animus; Quod ut cedat in errantium conversionem, & fidelium confirmationem, faxit dux & author omnis veritatis, Deus noster in secula benedictus;

VIII.

Fundamenta religionis Papisticæ

I. Sunt *ἀγχαφα*, nec in sacris literis fundata. Veri-

A 3

tatis

Generalis refutatio, quod argumenta Jesuvvita
 1. Sunt *ἀγχαφα*.

tatis enim cupidi non remittuntur ad Episcoporum successiones, non ad conditionem morum non ad nomen Catholici & similiter externas, dubiasq; notulas, sed potius ad ipsū verbū Domini, quod in rebus fidei lucerna est *Pf. 119, 105* ad Prophetas, quos audire debemus, *Luc. 16, 29.* ad sacras literas, in quibus permanere, *2. Tim. 3, v. 14.* & quibus attendere nos oportet, *2. Pet. 1, 19.* Hinc etiā factum, ut tū in Vet. tū in N. Testamento, cū de religione & cultu divino lis incidit, primò ad Scripturam veluti normam, non autem ad ratiunculas istas fallaces pij confugerint, quò spectat exemplum Davidis, *1. Paral. 16, v. 40.* Josaphati, *2. Paral. 17, v. 9. 10.* Ezechia, *2. Paral. 30, v. 5.* Josia, *4. Reg. 22, v. 11.* Esra, *Neh. 8.* Berhoensium, *Act. 17, v. 11.* Constantini Magni in Concilio Niceno, *apud Theodor. l. 1. c. 7.* Nobis E. maximè mirum fit, quòd pius Princeps ad Papisticam fidem defecit, non quia vidit illam Scripturis conformem, sed quia Episcoporum seriem, credentium multitudinem, Catholicorum nomen & similia signa externa minimeq; certa attendit. Quòd si exceperint Jesuivitæ, rationes istas in Scripturis implicite haberi; non credemus ijs, nisi probent prius, quod dicunt: Nos autem in speciali examine contrarium facile ostendemus.

IX.

a. *Secundaria.*

II. **Sunt secundaria.** Notum enim & aliquoties probatum est, fidem veram non nisi ex Scriptura, tanquam Dei verbo hauriri, ideoq; *Christianos volentes accipere firmitatem fidei veræ ad nullam rem confugere decet, quàm ad sacram Scripturam,* monente *Chrystostomo* in *Ope. Imperf. homil. 49.* Jam vero Jesuivitæ Christianos de fide consultantes non ad sacras literas, unicum religionis Canonem ablegant, sed ad argumenta alia, quæ hoc ipso secundaria sunt, quoniam ex Scripturis non depromuntur. Novit hoc *Bellarminus*, ideoq; quæstionem dubiam demonstraturus, ex sacro codice primùm argumenta collegit, post dicta Patrum & alias rationes tanquam secundarias probationes subjunxit. Et sanè eundem modum Doctores prisca observarunt, quos nonnunquam successionem, nomen Catholicum & similia urfisse non diffitemur: verùm id Scripturæ scrutinio præ-
sup-

supposito, non excluso fecerunt. Antè omnia enim divina ora-
cula, ut certam fidei mensuram inspexerunt, post ex abundantia
argumenta secundaria collegerunt. Nunc autem Jesu vitæ in-
vertunt planè istum ordinem, & hoc unicè agunt ut Christia-
nos à Scriptura magis magisq; abducant, & non nisi per ratio-
nes secundarias jugo Romano subjiciant, quod qualem *ἡ ἀληθ-
γορία* gignere queat, quivis cordatus judicet.

X.

Ne autem Patrum exemplo suum institutum pallient, no-
tandum quòd alia sit ratio *Ecclesie Apostolicae primæ*, & alia *hodie-
na*. Ibi vigeat adhuc donum miraculorum, ibi in multorum
auribus sonabat adhuc vox Apostolorum & Apostolicorum, ibi
non dum Ecclesiam oppresserant varijsq; hæresibus infecerant
Romani Præsules. Tunc igitur post fidem ex Scripturis proba-
tam tutò satisq; firmiter licebat provocare ad miracula, anti-
quitatem & successionem, à sanctis Apostolis deductam. Nunc
verò simili modo concludere neq; fructuosum, neq; satis fir-
mum est. Miracula enim nova postremis temporibus edenda,
nullibi sunt promissa, sed Pseudopphetas illa jactaturos no-
vimus. Antiquitas nuda nihil probat, siquidem Ecclesie prestu-
ram fore diuturnam prænuñciatum est. Successio localis ob
persecutiones & Papale dominiũ interrupta fuit, ideoq; ex
illa de veritate religionis judicari nequit. Tutissimum E. est,
hoc tempore, ut non incertas illas & secundarias rationes, sed
*Scripturam sacram unicum & indubitatum fidei instrumen-
tum, hoc ipso fine à Deo traditum & commendatum, in omni-
bus sequamur, & ex illa nostram de fide capessenda consultati-
onem primò instituamus.*

XI.

III. Sunt Exoterica. Constat ex præceptis Logi-
cis, quòd duplex disputandi modus sit, alter vocatur *ἐξωτερικός*,
qui vulgaris est, & *δοξαι* generat, non *πιστήμιω*: alter *ἀρκοα-
ματικός*, qui accuratus est, certisq; demonstrationibus nititur,
unde certitudo & *ἡ ἀληθγορία* exoritur. Hunc posteriorem in
rebus fidei adhiberi, cum primis convenit, quippe cui nihil ma-
gis adversatur, quam fluctuatio & incerta opinio. Nequaquam
verò

*Pantificij institutum
ad alij*

verò illum Jesuvvitæ observant, eò quòd non argumenta *ἄνω-
θεν* & *οἰκεία*, (quæ ex solis Scripturis petuntur,) juxta *ἡγε-
νον τῶν ἁγίων* afferant, sed rationes tantum Topicas & ad rudem
plebeculam movendam accommodatas urgeant. Norunt
enim, in sacro codice exitium esse fidei suæ paratum, qua de
caussa nihil magis subterfugiunt, quàm illius judicium, ut eò li-
berius de sua successione, antiquitate, præeminētia rhetoricari,
& simpliciores capere possint. Hinc *Ἐκκίσιος*, coram *Ἐδουάρδο*, Du-
ce *Bavariæ*, falsus est, ex Patribus quidem Lutheranam religio-
nem refutari quodammodo posse, sed non ex Scriptura, uti re-
fert tomo 5. oper. germ. *Lutherus* fol. 35. f. 2. Et *Pighius* dissuadet
seriò, ne in certamen *Scripturarum* amplius descendatur l. 1. de *Eccles.*
Hierar. c. 4. Judicet autem quivis pius, num fidem suam exote-
ricis rationibus superstruere tutò valeat, & num consultum sit,
ut illos sequatur doctores, qui à sacris literis, toties commenda-
tis abducunt, & ad externa, vix quodammodo probabilia, ne-
dum Apostolica signa nos remittunt.

XII.

q. Incerta &
fallacia.

IV. Sunt incerta & fallacia. Quí enim animum red-
dere possent *ἀμετάπτωτον*, cum è Scripturis non proferantur?
Fides & verbum relata sunt, ideoque verbum ubi non habetur,
ibi firma fides nunquam accenditur. Deinde notæ istæ non sunt
universales & perpetuæ, sed tum demum aliquem locum ha-
bent, quando *Ecclesia* in illustri statu constituta est, cum patet
claretq; non autem cum latet vel languet, id quod in primis de
successione & credentium multitudine, externoque splendore
intellectum volumus. Quod autem temporale, adeoq; adventi-
tium est, qui certa fidei vel norma vel nota esse poterit?

XIII.

g. Nimis gene-
ralia.

V. Sunt nimis generalia & communia. Vix enim da-
tur *Ecclesia*, quæ istas rationes non jactitet vel jactare queat, *Ec-
clesiam Græcam* habent Romanenses ipsi pro falsa: At verò non
minus illa allegat *Episcoporum* seriem, *Concilia*, *Patres*, mira-
cula, unitatem & similia, *Judei* verà fide destituti sunt, & nihilo-
minus urgere possunt suas prærogativas olim concessas, ut anti-
qui-

quitatem, sanctitatem, concordiam, Rabbinorum in Scripturis interpretandis magisteriū, & id genus alia. Quī ergo ex istis notulis adeò communibus infallibile iudicium institui, quī conscientia dubitans tranquillari potest? *Aut enim argumenta Jesuvvica sunt incerta, aut Græcorum quoq; & Judæorum religio, quippe notis istis non destituta, est adprobanda, quod posterius cū pro falso habeant Romanenses ipsi, prius esse verissimum, invictā consequentiā colligitur.* Proinde quoties urgeri audimus istas ratiunculas; toties nimis generales fallibilesque esse cogitemus. utque per singulas partes doctrinam suam demonstrent, postulemus. Nec enim facilius convinci possunt adversarij, quàm si à rhetoricatione suā de communibus fidei Romanæ prerogativis & fundamentis, ad specialem singulorum articulo- rum probationem avocentur. Ut enim ibi valdè sunt loquaces & garruli; ita hīc facilè obmutescunt, nec ullum argumentum solidum vel pro missæ sacrificio, vel pro purgatorio, vel pro sanctorum invocatione, similibusq; capitibus proferre possunt, quæ specialis Romanæ doctrinæ consideratio in orthodoxia agnita plurimū confirmare nos potest, ne per argumenta ista rhetorica moveamur, vel in fide dubij efficiamur.

XIV.

VI. Sunt cognitu difficilia: quod in primis intellectum volumus de sanctitate & miraculis, de Conciliorum cano- nibus & Patrum sententijs, ad quorum consensum, ceu fidei normam, remittimur. Quis enim facilè discernet, si de doctrina adhuc dubitet, num vera & divina, num verò diabolica sint miracula, quæ eduntur? Num item Christiana sit an simulata sanctitas, quæ cernitur? Et quando fidei certitudinem adipiscemur, si omnia Concilia, eorumq; decreta, si omnia Patrum doctorumq; scripta evolvenda fuerint? Nec enim hīc tutum est alijs credere, cū omnes sectæ Concilia & antiquos Patres nonnunquam pro se allegent. Quod si vel maximè pleraq; scripta doctorum veterum legendo quis percurrerit, plurimas tamen discrepantias observabit, & uniformem in omnibus articulis religionem ex antiquis monumentis nunquam colliget. Adde, quod sæpius suboriri possint hæ fluctuationes, *Nondum*

*6. Cognitu dif-
facilia.*

B

omnes

omnes Patres legisti, nec omnium Scripta ad nos pervenerunt, Fortè aliud tradiderunt illi, quorum monumenta interierunt, Fortè scripta ipsorum sunt supposititia vel castrata, & quæ his sunt similia. Que pacto conscientia nunquam quieta esse poterit, sed in perpetuis dubitationum fluctibus hærebit.

XV.

7. Pharisaica.

VII. Sunt Pharisaica. Iisdem enim notis pugnare potuerunt, & procul dubio pugnarunt olim Pharisei adversus fidem Christianam & Apostolicam. Jactarunt consentiens Synagogæ suæ summiq; Synedrij in Scripturis explicandis magistrum. Urserunt divinam sacerdotij institutionem, primatum & potestatem summi Pontificis, cathedræ Mosaicæ successione, Synodorum decreta, Patrum placita, sanctitatem suam, miracula, nomen electi populi, unitatem & antiquitatem fidei, quibus omnibus adstipulari nolle, & novam desertâ Mosaicâ veteri fidem Apostolicam, quæ Phariseorum opinione caruit omni successione, aperuit licentiâ vivendi, provocavit ad privatum intellectum, & à Patrum traditionibus exorbitavit, recipere velle, inexcusabilis dixerunt esse imprudentiæ & extremæ superbiæ. Uti autem Christiani Rhetoricationes illas Pharisaicas nihil curarunt, contenti hoc unico, quod scirent, doctrinam Apostolicam Prophetarum scriptis conformem esse: ita ratiunculis Jesuviticis nemo ad apostasian moveatur, sed in agnita veritate eò alacrius persistat, quò magis veterem Pharisaismum, adeoq; temporum & status Ecclesiastici juxta prædictiones divinas revolutionem manifestius deprehendit.

XVI.

8. Divinis assertionibus contraria.

VIII. Sunt divinis assertionibus contraria. Ex multitudine enim credentium de vera Ecclesia judicare volunt Jesuvitæ: at paucissimos fore fideles extremo mundi seculo prædictum est *Luc. 18, vers. 8*. Urgent illi splendorem & majestatem externam: At regnum Dei non venit cum observatione, *Luc. 17, v. 20*. Jactitant sanctitatem, in abstinentia hypocritica & interdicto matrimonij sitam: ast hæc dæmoniorum dogmata esse dicuntur, *1. Tim. 4, v. 1. & seqq.* Prætentunt varia miracula: sed
pseu-

pseudopropheta circa mundi finem venturis illa adscribuntur
Matth. 24, v. 24. Requirit perpetuam nec interruptam pasto-
rum successionem: At Anti Christum in templo Dei sessurum,
& Ecclesiam per multos annos vastaturum esse, aliquoties præ-
nunciârunt Apostoli.

XVII.

IX. Sunt fraudulenta. Nam eò collimant omnia, ut *9. Fraudulenta*
Christiani à scrutinio Scripturarum abducantur, & potestas *1. d. 1.*
Ecclesiæ Romanæ asseratur. Hinc singula fundamenta nil
nisi primatum crepant, & authoritatem cathedræ Petrinæ,
& successionem & splendorem externum, ut hisce carnalibus
ratiunculis capti simpliciores Scripturam consulere cessent,
jugoque Romani Præsulis eò lubentius se subjiciant. Cogi-
tent autem pij, annon insignis hæc fraus sit, Scripturam, illud
unicum fidei ὄργανον, è manibus excutere, & ad fallaces, nec
nisi carnales dubiasq; rationes remittere? Cogitent, si qui ni-
mis sunt creduli, in quas angustias sese dent præcipites, quam-
primùm ad Papismum deficiunt. *Talem* enim religionem ample-
ctuntur, quæ non Scripturis, sed externis ratiunculis nititur:
talem, in qua perpetuò tum de ipsa fidei certitudine, tum de salu-
tis hæreditate dubitandum sit: *talem*, quæ fallibili Papæ judicio,
traditionibus incertis, Conciliorum decretis variantibus, Pa-
trum scriptis adulteratis, & Pontificū sancitis dubijs superstru-
cta est: *talem*, quæ ex maxima parte Pharisæica, Apostolicæ fidei
contraria, olim damnata, sæpè immutata, à multis etiam Papi-
sticis scriptoribus in quibusdam articulis reprobata est: *talem* in
qua cultus divinus viget tantùm externus, ab hominibus exco-
gitatus puerilis, superstitiosus, pomposus, & histrionicus: *talem*,
quæ per regimen tyrannicum, vi & fraude introductū, iisdemq;
medijs auctum & propagatum defenditur: *talem* in qua Laici, ut
vocant, ipsiq; Principes à lectione Biblica excluduntur, à verita-
tis scrutinio avocantur, salutari calice Domini privantur, varijs
ceremonijs & traditionibus onerantur, ad quidvis coguntur, & ty-
rannicę fulminantis Pontificis jurisdictioni subjiciuntur. Annò ig.
vel maximè fraudulèter agūt qui per ratiunculas istas Rhetoricas
religionē tā fædā persuadere, & à fide Lutherana nos dimovere

tagunt, in qua tamen sola datur conscientiae tranquillitas, cuius auctor Deus est, qui bonitas; cuius norma verbum Dei, quod veritas; cuius testis, vitae sanctitas; cuius finis, aeterna salus & felicitas?

XIIX.

10. *HUMANAS.*

X. Deniq; humanis praecipue auctoritatibus fulciuntur. Multitudo enim adstipulantium toties jactata, quid aliud est, quam humanum testimonium, quod errori non facit patrocinium? Sic pleraq; fundamenta non tam sacris literis, quam Patrum dictis, vitiose nihilominus, & saepe praeter mentem scribentium accommodatis muniuntur. Inprimis vero in singulis rationibus urgetur Principis deficientis exemplum, cum tamen non exemplis, sed divinis legibus sit iudicandum, ideoq; nemo pius plus illo movebitur, quam olim Christiani, videntes multorum Principum, imò & Imperatorum ad Arianos transeuntium *ὑποτασίαν*. Jamdudum in Scripturis praedictum est, plurimos extremo saeculo ab Apostolica fide divortium facturos, unde non imitandi, sed orandi potius causam sumimus, ut in veritate agnita Deus nos confirmet, errantesq; in viam rectam, quam ob tam leves, humanasq; & carnales ratiunculas deseruerunt, pulsis errorum tenebris elementissime reducat, & verae Catholicae Ecclesiae iterum indivulse associet.

XIX.

Atq; haec fuerunt illa decem membra, quae generalis responsi loco praemittere voluimus: Nunc in specie ad singularum rationum discussionem pergimus, quas Logicè & in forma syllogistica, seclusis rhetoricationibus, breviter proponemus, ut quam futiles sint, & vehementer claudicent, eò citius cuivis legenti innotescat.

Fundamentum primum.

FALSORUM DOGMATUM IMPOSITIO.

XX.

Summa totius discursus huic uni argumento includi potest:
Cujus religionis assertores falsa dogmata imponunt

nunt dissentientibus, illa meritò suspecta & dese-
renda est. Atque religionis Lutherana assertores
falsa dogmata imponunt Pontificijs. E. religio
Lutherana meritò suspecta & deserenda est.

X X I.

RESPONDEO AD MAJOREM. 1. Distinguen-
dum est inter rem & rei apparentiam. Sæpius enim videntur
falsa dogmata imponi, unde oriuntur querelæ dissentientium,
re ipsâ tamen illud non fit, ideoq; ab apparente impositione pe-
regrinorum dogmatum, ad ipsius doctrinæ falsitatem non licet
argumentari. 2. Quod ab uno paucivè privatis fit, non debet
trahi in præjudicium totius religionis. Iniquum enim & stoli-
dum foret, si mox abjiceres fidem, quia unus altervè doctor vel
ex fervore, vel ex imperitia, doctrinam adversarijs falsam adsi-
gnavit. 3. Si maximè à multis id fieret, nondum tamen satis
causæ esset, à fide resiliendi. Ut enim ob vitia artificum, ars ipsa
non est rejicienda: sic ob nævos excessusq; docentium, doctri-
na ipsa non est deserenda. 4. Idem nobis Papistisq; Calviniani,
idè Photiniani, imò & Judæi objiciunt. Quis autè tam desulto-
rie levitatis esset, ut si maximè in nonnullis verum foret, quod
objiciunt, Calvinismum propterea, vel Photinianismû, vel Ju-
daismû amplecteretur? Falsæ enim citationes vel impositiones
sunt quidem lapsus memoriæ, & signa imperfectæ scientiæ, ab
ijs tamen ipsius doctrinæ puritas minimè inquinatur, multò mi-
nus tollitur. 5. Non pauca in Patrum scriptis errata hujusmodi
observari possunt, dum ex zelo & fervore hæreticis plura tribue-
runt, quàm ipsi agnoverunt. Num autem Patres ideò, tanquam
falsarios, mox repudiabimus & totos abjiciemus? 6. Retorque-
ri potest argumentum in ipsos Pontificios, quippe qui falsa do-
gmata passim imponunt ipsi DEO, Prophetis, Apostolis, Con-
cilijs, Patribus, Nobis. DEO, quem contritionem capitis ser-
pentini Mariæ tribuisse Gen. 3. v. 15. falsò existimant. Prophetis,
quos Patrum limbum & purgatorium, & operum merita docu-
isse somniant. Apostolis, quibus doctrinam de primatu Petri, de

Pontificij falsa
dogmata impo-
nunt.

1. Deo.

2. Prophetis.

3. Apostolis.

4. Concilij.

5. Patribus.

6. Nobis.

sanctorum invocatione & iustitia infusa tribuunt, cum contrarium in Scriptis suis clarissimè defenderint. Concilij, quorū canones adulterant, ut notum est ex Pontificum Zozimi Bonifacij & Cœlestini historia, qui ad Concilium Carthaginense non erubuerunt scribere, sibi primatum in Niceno concessum esse, & transmarinis Ecclesijs licere ad sedem Romanam appellare, quod manifestissimum falsi crimen ipsi in Carthaginensi Concilio congregati Episcopi deprehenderunt. Patribus, quibus sua dogmata affingunt, prius autem probare nequeant, quàm scripta illorum castraverint, perverterint, novasq; sententias immiscuerint, de quo *Index expurgatorius* luculentum præbet testimonium, quippe in quo scribere non verentur p. 5 *Se in Catholicis veteribus plurimos ferre errores, extenuare, excusare EXCOGITATO COMMENTO, persæpè negare, & commodum ijs sensum AFFINGERE, dum opponuntur in disputationibus aut in conflictionibus cum adversarijs.* Num autem hoc est bonâ fide agere, nullumq; dogma peregrinum Patribus imponere? Nobis, quod per singulos ferè articulos demonstrari posset. Scribunt, nos rejicere Concilia & Patres, *Reihing. fundam. 6 & 7.* cum tamen eos minimè rejiciamus, nisi quando à Scriptura apertè dissentiant; Nos Deum auctorem malorum fingere, *Lessius p. 95. Consult. Reihing. p. 25.* sed negatur à Philippo & protestantibus *artic. 19. August. Confess.* Nobis nihil aliud esse unionem naturarum in Christo, quàm communicationem attributorum, *Bellarmin. l. 3. de Christo c. 8.* cum tamen illa duo ut causam & effectum, ut antecedens & consequens semper distinguamus. Nos confundere peccata actualia cum originali, quod refutatum est in *Apol. A. C.* Nos tollere omnem arbitrij libertatem, *Lessius p. 95. & 121. Conf.* sed contrarium asserimus *art. 28. A. C.* Nos docere iustitiam imaginariam, putativam, phantasticam, quæ calumnia frequens est apud Bellarminum. Nos inducere licentiam vitæ & bona opera exterminare, quod falsissimū dogma, licèt millies refutatum sit, in omnibus tamen chartis ferè objicitur & interpolatur. Et hanc ipsam peregrinorum dogmatum impositionem falsi sunt ex Pontificijs nonnulli. Refert enim B. Lutherus in *præfat. artic. Schmalcald* de doctore quodam è Gallijs misso, quòd palàm indicaverit, Regi suo certo certius per-

persuasum esse, apud Lutheranos nullam esse Ecclesiam, nullum Magistratum, nullum conjugium, sed promiscuè omnes pecudum more vivere pro arbitrio. *Alphonsus, Caesaris Cancellarius Hispanicus, Augustæ in Comitijis apertè dixit Melanthoni: Longè aliter, Philippe, in Hispanijs de vobis fama tulit, quàm ex confessione vestra intelleximus. Multi nobis persuaserunt, vos negare Trinitatem, de Christo & Mariâ impiè loqui, Sacramenta corrumpere, Cœnam Dominicam convivij profani more administrare, magistratum contemnere, libidines stabilire, &c.* Plura non addam, cum omnes libri Papistici talibus falsi criminibus scateant, ut si ob ista sit religio deserenda, præ omnibus alijs Papistica præcipuè vitari & abjurari debeat.

X XII.

RESPONDEO AD MINOREM. Nequaquam falsa imponimus dogmata Pontificijs, sed ex scriptis eorum omnia deducimus. In exemplis res erit manifesta, quorū septem commemorat Jesuvvita. 1. Scripsit Philippus, *Papicolas nihil docere de fide, quâ remissio peccatorum accipitur.* Contrà allegatur p. 13. *Thomas p. 1. 2. q. 113. a. 4. & Concilium Trident. sess. 6. c. 8.* Resp. Fides consideratur *vel absolute, ut est opus & præparatio ad justificationem; vel relate, ut apprehensio est meriti Christi, quâ solâ justificamur.* Illum respectum Pontificij admittunt, hanc agnoscere nolunt. Fidem *ut opus & assensum* commendant cum Thoma: *ut fiduciam & justificationis instrumentum* eludunt, exhibitant. Verè igitur nihil docent de fide, quâ remissio peccatorum accipitur. Errant enim in ejus definitione, quia pro nudo assensu habent. Errant in ejus officio describendo, quia relate & per apprehensionem, adeoq; solùm justificare negant.

Num Pontificij aliquid doceant de fide?

X XIII.

2. *Tubent, ait Philippus, conscientias dubitare, an consequantur remissionem.* Regerit Jesuvvita p. 13. 14. 15. *non dubitationem, sed tantum formidinem metumq; inculcari:* Resp. Metus *vel cum fiducia conjunctus est, & filialis: vel à fiducia separatus & servilis nuncupatur.* Ille dubitationē nō admittit, *hic semper comitē habet.* Illum Papicolæ non intelligūt, hunc urgent, ideoq; dubitationē à metu nō excludunt, Costery hoc apertè tradit in Ench. c. 4. de fid. m. p. 187.

An dubitatio nem inculcent?

Fidei

Fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit Christus in nobis esse. Concil. Trid. sess. 6. c. 9. Non est asserendum, oportere eos, qui verè justificati sunt, absq; ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificados. Andradius in defensione Concilij Tridentini ad illud, quod Jesuwitæ scripserunt (*Fidelis quidē firmiter sperat vitam æternam, & quod magis est, confidit etiam, non tamen certò credit, sed dubitat, spes enim fallere potest*) responsurus inquit, *spem habere aliquam dubitationem conjunctam & implicatam.* Petrus à Soto in Confess. *Tutum & humilimum est, de Dei in me gratia atq; presentia DUBITARE.* Nec aliud sequi potest ex hypothésibus Papisticis, quàm mera dubitatio. Fidem enim justificantem per nudum assensum, non fiduciam describunt; & remissionem peccatorum non in solo Christi merito, gratiæq; promissione gratuita, sed in dispositione congrua, & operibus bonis sitam esse autumant. Quia verò cor nostrum de imperfectione operum, de nullitate meritorum, de indignitate propria nos convincit, quid inde oriri potest aliud, quàm fluctuatio & servilis trepidatio? Nos autem ex Scripturis docemus, fidem esse fiduciam, & remissionem fundari in solo Christi merito, quod cum omni credenti imputetur, certitudo gratiæ & salutis inde exurgit, quam divinæ promissiones, juramentum Dei, Sacramentorum efficacia, absolutionis firmitudo, Spiritus sancti obsignatio, & promissa precum exauditio undiquaque muniunt & confirmant.

XXIV.

An statuant ob propriam dignitatem remitti peccata? 3. Docent, pergit Philippus, homines consequi remissionem peccatorum propter propriam dignitatem, non docent credendum esse, quòd gratis propter Christum remissio peccatorum detur. Contrà profertur pag. 16. Concilium Trident. sess. 6. c. 8. & Thomas ad cap. 11. Rom. Resp. Verissimum est, quòd Philippus scripsit. Etsi enim gratis, non ex merito condigni primam justificationis gratiam provenire statuunt, minime tamen opera excludunt, sed cum fide alia multa simul per meritum congrui justificare asserunt, ideoq; non in solo favore Dei, ut causa principali; non in sola Christi obedientia, ut causa meritoria; non in sola fide, ut causa instrumentali, sed in operibus quibusdam præparatorijs, in habitu infuso, ad-

adeoq; dignitate propria seu inhærente, justitiam consistere arbitrantur, quod unum Philippus allegatis verbis intellectum voluit.

X X V.

4. Crassum Philippi sumum esse Jesuvvita inquit, p. 16. quod articulo 11. scripsit, docere Pontificios, satisfactiones esse necessarias ad redimendas pœnas æternas. Contrarium enim definitur à Concilio Trident. sess. 14. can. 3. Resp. Verba isthæc in apologia non reperiuntur, sed ita recenset opinionem adversariorum Philippus m. p 184 edition. Lips. in 8. Fatentur, quod satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ. Verum fingunt, satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas seu purgatorij seu alias. Sic enim docent, in remissione peccati Deum remittere culpam, Et tamen, quia convenit justitiæ divinæ punire peccatum, mutare pœnam æternam in pœnam temporalem. Addunt amplius, partem illius temporalis pœnæ remitti potestate clavium, reliquum autem redimi per satisfactiones. Quid hîc Philippus affinxit? Annôn candidè sententiam Papicolarû retulit? Certè idem definit Concilium Trid. sess. 14. Idem defendit Bellarminus l. 4. de Pœnit. c. 2. seqq. Philippus quidem p. 190. inter cætera hæc verba adhibuit, quæ mendacij arguit Bellar. l. 4. de pœnit. c. 13. Quid monstri est, dicere, quod Christi satisfactio redimat culpam: Nostræ pœnæ redimant mortem æternam? Verùm hoc respectu compensationis tantùm & concursus intelligit. Quia enim Papicolæ fingunt, pœnas æternas mutari in temporales, & pro his satisfieri operibus indebitis, hinc consequenter, pœnas æternas, nimirum in temporales commutatas redimi à nobis posse, consequitur. Imò Bellarminus l. 4. de pœnit. c. 12. non obscure hoc fatetur: *Quamvis ait, satisfactiones nostræ non sint ex condigno compensationes mortis æternæ: tamen opera laboriosa, quæ cum Dei auxilio sunt à pœnitentibus, sive ex congruo, sive ut dispositiones concurrere & PRODESSE ad culpæ remissionem, & MORTIS ÆTERNÆ LIBERATIONEM, Scripturæ & Patres perspicuè docent.* Cùm E. reum habeamus confitentem, qui operibus satisfactorijs licèt non ex condigno, ex congruo tamen redimi mortem æternam asserit, & l. 2. de pœnit. c. 12. fusè defendit, ulteriori probatione non opus esse autumamus.

C

26. s. Lar-

XXVI.

*Quid de fide
& merito Christi
si doceant.*

5. *Larvam impudentem* Jesuvvita nuncupat p. 16. *Quòd Philip-
pus Monachos nihil de fide, nihil de merito Christi & justitia fidei docuisse
pronunciavit.* Contrà citat *Thomam par. 3. quest. 62. ar. 5. & Concil.
Trident. sess. 6. c. 7.* Respon. Si maximè nonnunquam facta sit
mentio fidei & meriti Christi, præcipuè tamen & ferè semper
in operibus commendandis urgendisq; occupati fuerunt, de
quo ipsi studiosi sub primo reformationis tempore conquesti
sunt, referentibus Imperij statibus in causis detrectati Concilij
Tridentini in p. 17. Deinde cum fidem nominârunt, non fiduci-
am, sed assensum historicum intellexerunt; cum Christi meri-
tum docuere, salutis quidem principium, sed non fundamen-
tum unicum, seclusis nostris meritis, esse voluerunt, unde justi-
tiam quidem inhærentem, non verò imputatam propugnârunt.
Sic E. nulla fiebat mentio fidei, quòd sit fiducia; nulla meriti
Christi, quòd sit unica satisfactio; nulla justitiæ fidei, quòd in
gratuita imputatione & remissione consistat.

XXVII.

*Quid de suis
traditionibus
sentiant?*

6. *Stolidissimum phantasma* vocat p. 17. quòd *Pontifices suas tra-
ditiones longè accuratius servari postulent, quàm Evangelium.* Nec enim le-
ges Ecclesie præponi Evangelio, sed jussè poni intercedente Euangelij autho-
ritate. Resp. Aliud in theoria defendunt, aliud praxi ostendunt
Papicolæ. Evangelium cibos cum gratiarum actione sine
delectu capiendos esse docet. 1. *Timoth. 4. vers. 3.* Ecclesia Roma-
na prohibet. Euangelium pastoribus matrimonium permit-
tit. 1. *Corinth. 7. ver. 9.* 1. *Timoth. 3. ver. 2. 4. 12.* Ecclesia Romana
interdicit. Euangelium cœnam Domini sub utraq; specie por-
rigendam esse præcipit; Ecclesia Romana hoc non obstante,
contrarium ordinavit. Et has sanctiones tam rigorosè volunt
observari, ut nisi fiat, protinus in Spiritum sanctum peccari asse-
rant, prout innuitur *causa 25. quest. 1. cap. Nulli, & cap. Violatores.* An-
non autem hoc est, traditiones Papales præferre Euangelio? Si
enim gravius peccat violator Canonum Papalium, quàm trans-
gressor legum divinarum, utiq; illis plus tribuitur, & accuratius
eas observari postulatur. XXIIIX.

7. Cultum sanctorum apud Pontificios idololatriâ plenum
esse

esse dicimus, sed pro convitio id habet Jesuvvita pag. 18. *quoniam sancti tantum ut intercessores, non ut Redemptores invocentur.* Respond. *De cultu sanctorum.*
Theoria vicissim à praxi discrepat. Quòd enim sanctis divinus cultus tribuatur, atq; sic idololatria in Papatu fœdissima committatur, vel hinc satis apparet. 1. Quia Mariam adorant ceu victricem & conculcatricem serpentis, in oration. de omnibus membris Mariæ, in Antiphon. de Domina nostra, in Psalterio Mariæ, Psalmo Quinquagesimo primo &c. 2. Quia sanctos invocant ut Salvatores, Redemptores & liberatores ab ira Dei, à peccato, Satana & æterna damnatione, in Psalt. Mariæ, Psal. 41. & 136. in litanis Mariæ & hortulo animæ in suffrag. Apostol. 3. Quia spem & fiduciam suam in sanctis habent defixam, in Psalter. Mariæ Psalm. 30. & 45. in ordinario Hildesheimensi de Compass. Mariæ, in hort. anim. in suffrag. Confess. Iohannes Faber in oratio. funeb. Maximil. 1. 4. Quia Mariæ non tam intercedendi, quàm præcipiendi jus tribuunt, juxta versiculos in hortulo animæ expressos:

Gaude matrona Cœlica,

<i>Tu ancillam Iesu Christi,</i>	<i>Te vocare voluisti.</i>
<i>Sed ut docet lex divina,</i>	<i>TV IPSIVS ES DOMINA.</i>
<i>Nam jus habet & ratio,</i>	<i>MATREM PRÆESSE FILIO.</i>
<i>Ergo ora simpliciter,</i>	<i>ET PRÆCIPE SVBLIMITER.</i>
<i>Vt nos in mundi vespera,</i>	<i>Ad regna ducat supera.</i>

5. Quia sanctis, & præcipuè Mariæ virgini gratiæ bonorumq; cœlestium elargitionem & applicationem tribuunt, Antoninus part. 4. Summæ tit. 25. Et Bernhardinus in Mariali. 6. Quia in suis preculis offerunt sanctis sacrificium laudis in Psalt. Mar. Psalm. 53. confitentur peccata, Psal. 93. se & sua commendant, templa erigunt, festa instituunt, per illos jurant, vota ipsis nuncupant, & quæ sunt alia his similia, non nisi uni Deo competentia, sanctis autem per insigne *ειδωλολατρείας* crimen tributa. non diffitente Ludovico Vive ad lib. 8. August. de Civ. Dei c. ult. Plura si quis expetat, eum ut Iohannis Rainoldi libros de Ecclesiæ Romanæ idololatria consulat, rogatum monitumq; volumus. Unicum placet addere ex libro Hippolyti Gnaninonij Ingolstadij cum censura Decani Facultatis Theologicæ impresso, anno 1610. cui titulum fecit,

Vom greuel der Verwüstung Menschliches geschlechts. Ibi se vocat
 Mariæ ihrer Jungfräulichen Kayserslichen Majestät Vnter Aller-
 vnterthänigstes/Allderemütigstes/Allerverworfstenes Knechtele / &
 in dedicatione hæc ipsi tribuit encomia: Der Allerheilig-
 sten/ Großmächtigsten/ vnd Vnberwindligsten/ Fürstin
 vnd Frauen/ Frauen/ Jungfrauen Maria / gekrönten
 Keyserin des Himlischen Reichs/ Großhercherin der neun
 Englischen Heerscharen/ gebornen Königin in Israel/
 Churfürstin des gelobten heiligen Landes / Fürstin aus
 Juda/ Triumphirenden Zerknitscherin der alten Schlan-
 gen / gewaltigen Oberwinderin der Heyden / siegreichen
 Verwüsterin der Ketzer / Allermächtigsten Frauen der
 gantzen Welt/ Jungfräulichen Bespons vnd Mutter des
 Allerhöchsten / etc. Weiner nach Gott Allergnädigsten
 Frauen. Ex quibus verbis vel solis apparet, annon divinos
 honores Mariæ tribuant Papicolæ, eamq; ob causam idolola-
 triæ merito accusentur.

XXIX.

Et hæc fuerunt illa septem dogmata, quæ Pontificijs falso
 imponi Jesuvvita contendit, sed frustra. Subjungit alia p. 19. &
 20. quæ cum tangat tantum, & responsum sit ad pleraq; in An-
 tiLessio p. 508. & seqq. diutius hic immorari nolumus. Quæ e-
 nim sequuntur in fundamenti hujus primi explicatione à p. 20.
 usq; ad 25. meræ declamationes & Sirenum cantilenæ sunt, quas
 pueris musteisq; viris occinat, non cordatis, & solidæ veritatis
 amantibus.

XXX.

Colophonis loco pariare placuit Jesuvvitæ, qua de causa
 errorum horrenda portenta, quæ apud nos nata esse blaterat,
 ut suspectam redderet fidem orthodoxam, recensere commo-
 dum ipsi visum fuit. 1. Accusat Philippum, quod scripserit ad c.
 8. Rom. *Proprium Dei opus fuisse, ut vocationem Pauli sic adulterium Davi-
 dis, Iudæq; proditoris impietatem.* Resp. Quæ nostra de peccati causis
 sit sententia, planum est ex *arist. 18. Aug. Confes.* Nimirum peccata
 fieri

*Errores falsi
 objecti.*

*1. De causa
 peccati.*

fieri statuimus, Deo non suadente, non impellente, sed potius prohibente, antequam fiant; cohibente, cum fiunt; & puniente, postquam facta sunt. Si Philippus primis annis quædam incogitantius scripsit, veniam meretur ideo, quia sequenti tempore correxit, & emendavit. Satis enim dextrè in epist. ad Thomam, Archiepiscopum Cantuariensem mentem suam exposuit, cum scripsit: *Citantur horrendè dicta, Quem vult, indurat, & similia. Vnde ratiocinantur, Deum impellere mentes & corda, ut sceleratè faciant. Hic error execrandus est. Ac de forma sermonis notissimum est, Hebrais verba activa sapissimè permissionem significare, &c.*

XXXI.

2. Taxat Lutherum, quod de Trinitate malè senserit, partim, 2. De Trinitate quia versum *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis, exturbavit; partem, quia anima ejus verbum hoc homouision oderit. Luthero jungit Philippum, qui Joh. 10. Ego & Pater unum sumus, ὁμοῦσιον Filij notari inficias civerit. Resp. Non hoc est argumentari, sed calumniari, quia Lutheri & protestantium mens de divinæ essentia unitate & personarum Trinitate satis explicata habetur art. 1. Aug. Conf. Exemplar precum, ubi versus iste sit omissus, non vidimus. Si maximè res ita se habeat, procul dubio tamen non ex Trinitatis negatione, sed alijs de causis factum est. Et annon in Litanis, in cæteris cantionibus nostris creberrimè ad Trinitatem apostrophæ inveniuntur? De vocabulo ὁμοῦσιον Lutherus non loquitur absolute, q. od oderit sed conditionatè si oderit, se protinus hæreticum non fore. Nec enim in verbis, sed in sensu consistit hæresis. Ita Philippum Ario nequaquam favisse ex locis communibus alijsq; scriptis notissimum est. De dicto Joh. 10. ita loquitur T. 1. Operum. p. 749. *Hoc dictum rectè accommodatur ad confirmandam doctrinam, quod in Christo sit natura divina, omnipotens.* Post recenset cavillationem Arianorum de voluntatum concordia & unitate, tandemq; addit ex abundantia, si maximè Ariana explicatio obtineret, haberi tamen firmiora & illustriora pro divinitate Christi testimonia. Num autem hoc sit amicum Arij esse, prudentes judicent?*

XXXII.

3. Sugillat Brentium & Jacobum Andreae, quod Christum in hor-
doloribus infernalibus.

horto & cruce inferni flammis gustasse dixerint. Resp. Per flammam non intelligunt ignem corporalem, quem fingunt Pontificij, sed dolores summosq; terrores cordis, & acerbissimum sensum iræ divinæ, de quo sermo est, *Psal. 18, v. 5. Psal. 22, v. 1. Psal. 88, v. 17.* Christus igitur iram Patris ob peccata mundi sentiens, inferni dolores ad tempus sensisse rectè dicitur.

XXXIII.

4. De errore Illyrici, Buceri & Magdeburgensium.

4. Objicit errorem Illyrici, quod peccatum sit substantia. Quid autem hoc ad nos, qui dogma istud *art. 1. Form. Conc. unanimi consensu improbamus?* Objicit Buceri dictum in c. 3. Matth. *Baptismum Christi minimè esse necessarium*, quod si intelligatur de necessitate absoluta, verum; si de hypothetica modoq; ordinario, falsum est. Objicit Magdeburgenses *Baptismum Christi & Iohannis fructu convenire, infantesq; baptizatos & puerulos actu credere, docentes:* quid verò hîc absurdi latitat? Illud enim dogma fundatur *Marc. 1, v. 4. Luc 3, v. 3. 7. hoc Matth. 18, v. 6. Marc. 10, v. 14. & seqq.*

XXXIV.

5. De durioribus quibusdam Lutheri dictis.

5. Objicit tandem duriora quædam dicta Lutheri de bonis operibus, ut 1. *Quantò sceleratior es, tantò vicinior gratiæ*, ex Postilla Eccles. super 5. Dom. Trin. Resp. Verba in textu germanico sic sonant: *Du must nicht verzagen / ob dein Gewissen gleich zappelen / und die Sünde fühlet. Denn je schändlicher du bist / je eher Gott die Gnade eingibt.* Unde apparet, Lutherum non loqui de peccatorum commissione, sed commissorum agnitione, ut sit sensus: *Quò magis te sceleratum agnoscis, eò vicinior es gratiæ, siquidem agnitio peccati est initium salutis.*

2. *Iustus in omni opere bono peccat.* Resp. Verissimum hoc est ob imperfectionem adjunctam. Quatenus enim opus consentit cum lege, hactenus bonum est; quatenus verò dissentit ab illa, peccatum est. Non autem datur opus, quod non ex parte exorbitet, quia omnia sunt imperfecta. Facimus quidè aliquid, sed non omne: Facimus adjuvante Spiritu, caro tamen semper resistit, id quod contra legem est, ideoq; opus bonum ex parte malū efficit.

3. *Nulla peccata possunt damnare, nisi sola incredulitas.* Resp. Neq; hoc incommodum est, si modò dextrè accipiatur. Omnia peccata damnationem quidem merentur: attamen qui damnantur, non tam ob scelera, quàm ob contemptum satisfactionis pro
sce,

sceleribus præstitæ damnantur, quamvis distincti pœnarum gradus secundum distincta crimina irrogentur. Et hoc est quod nonnulli dicunt, *Omnia peccata damnare materialiter, solam incredulitatem formaliter.*

4. *Opus bonum non potest doceri, nisi lædas fidem.* Resp. Sciendum est, opera vel immisceri justificationis actui, vel doceri ut fructus pœnitentiæ. Ibi fidem lædunt, hîc ostendunt. Ibi sola fides justificat, hîc sola non est, sed per dilectionem operatur.

5. *Rei uxoria operam dare tam cuiq; est necessarium, quàm edere, bibere, dormire.* Resp. Lutherus non adprobat immoderatas concupiscentias, sed repetit sententiam Pauli 1. Cor. 7, v. 3. 9. Nec loquitur absolutè, ac si continentibus sint adigendi ad matrimonium, sed conditionatè, nimirum fœminæ usum esse necessarium tum ratione finis, ob conservationem speciei humanæ, tum ratione uestionum, quas hoc medio Deus sopiri voluit, siquidem melius est nubere, quàm uri.

6. *Si nolit uxor, veniat ancilla.* Resp. Non adprobat Lutherus fornicationem, sed innuit, si uxor sit contumax, posse maritum ab illa, tanquam malitiosa desertrice, separari, & post legitime factum divorcium, ancillam in matrimonium sumere, ut Ahasverus inobedientem Vasthi rejecit, & post famulam Esther sibi associavit, Esth. I. & 2. Vide hanc Lutheri mentem prolixè explicantes in Examine Germanico Anatomix Pistorianæ Theologos *Virtembergicos* p. 61. & *Hassiacos* p. 95.

Deniq; 7. *Multò præstantius est virginitate matrimonium.* R. Si monachalem virginitatem & cœlibatum intelligas verissimum scripsit Lutherus. Est enim non rarò coacta, plerumq; hypocritica, gravissimis erroribus superstructa, & sæpissimè cum vaga libidine conjuncta. XXXV.

Hæc etiam illa infamia ac informia errorum monstra fuerunt, quæ nobis occentare Jesuvvita voluit, pro quibus sexcenta possemus reponere, si instituti nostri ratio pateretur. Sufficiant hæc tamen dicta, quæ adversariorum fraudes callidas satis aperiant, dum quod verè statuunt & praxi exprimunt, se statuere negant; contra, quod non docemus, doceri tamen affirmant: quæ si sciunt & intelligunt, summè malitiosi; si non intelli-

telligunt, extreme occæcati, & proinde veluti duces cæci, merito, deferendi & fugiendi sunt.

Fundamentum secundum.

ECCLESIAE IN REBUS FIDEI DECLARANDIS *MAGISTERIUM.*

XXXVI.

Argumentum ex discursu Jesuyvitico tale formamus:
In qua religione habetur & auditur Ecclesie Catholicae per omnes aetates consentiens in Scripturis interpretandis & rebus fidei declarandis magisterium, illa sine dubio vera & amplectenda est. Sed in religione Papistica, non Lutherana, habetur & auditur Ecclesie Catholicae per omnes aetates consentiens in Scripturis interpretandis & rebus fidei declarandis magisterium. Ergo Religio Papistica, non Lutherana, sine dubio vera & amplectenda est.

XXXVII.

Totum hoc argumentum ejusq; explicatio proluxa principium petit, & falsis praesuppositis nititur. Supponit enim 1. Ex Scripturis fidem sufficienter non cognosci, nec controversias terminari posse, nisi accedat Ecclesie, hoc est, Pontificis Romani testimonium ac magisterium. Addit rationem, quia heretici omnes allegent Scripturas, & nostra interpretatio tantum resolvatur in privatum sensum, & judicium. R. 1. Decisio controversiarum, unde fides oritur, duplex est. Altera discretiva, altera coactiva nominari potest. Discretivam dicimus, cum ex scripto Dei verbo, ceu unica fidei mensura, terminantur controversiae, & per pastores indicatur, quid juxta sacrum canonem verum, quid falsum sit vel adulterinum. Concurrent itaq; tres judices, Spiritus sanctus tanquam principalis; Scriptura tan-

Duplex controversiarum est decisio.
1. Discretiva.

tanquam instrumentalis & directivus; pastores Ecclesie, tanquam ministerialis, siquidem illorum est, de controversijs ex Scriptura publicè judicare, Deut. 17, v. 8. 9. & pretiosum à vili distinguere, Jerem. 15, v. 19. Spiritus sanctus judicat πρῶτος, Scriptura *καὶ* υἱὸς, ministri *ὑποκρινόμενοι*, atq; sic Deus, ex Scriptura, per ministros de omnibus controversijs certum & infallibile fert iudicium: ubi tamen simul ab auditoribus requiritur, ut exemplo Berhoniensium diligenter inquirant ipsi, Scripturas consulant, & ex ijs se informari patiantur. Credendum enim est, non quia pastor dicit, sed quia illum Dei verbum dicere novimus, ad quod certè aliquod scrutinium & examen requiritur. Hic antiquus Apostolicus fidei cognoscendi & religiones probandi modus fuit, qui in nostris Ecclesijs similiter observatur, & cujus beneficio verum à falso rectè discernitur. *Coactiva decisio est, cum* *1. Coactiva.* non tantum controversiæ dijudicantur, sed etiam controvudentes coguntur ad fidem amplectendam, vel ita compescuntur, ut ipsi desinant errores suos defendere, aut nisi hoc faciant, occiduntur & è medio tolluntur. Hæc illa cruenta est litium terminatio, in Papatu usitata, quam sub magisterio Ecclesie consentientis occultant. At verò solius Dei est conscientias cogere, & hæreses penitus extirpare, quod non fiet ante diem ultimum, quia semper futuras esse hæreses prædictum est 1. Cor. 11, v. 19. Unde sibi nemo imaginetur, controversias ita terminari, & res fidei sic declarari, ut protinus obmutescant hæretici, nec ullum amplius dubium suboriri possit. Alia est ratio militantis Ecclesie, in qua semper pugna, semper hæreses existunt, quas quidem iudicio discretivo finit, coactivum non habet. Nec enim Apostoli controversias aliter terminarunt, quam per promulgationem veræ sententiæ ex Scripturis deductæ, ut patet ex principali illo, maximeq; inter Apostolos & Phariseos controverso articulo *de Messia mundi*. Eandem praxin primitiva Ecclesia in concilijs congregata observavit, quæ ex sacris literis errores confutavit, dissentientes tamen nec ad fidem coegit, nec ob pertinaciam vitâ privavit, licet silentium ijs, qui subjecti erant, indixerit. Maneat E. Scriptura fidei norma unica, in quam nul-

D lum

lum Ecclesiæ magisterium est concessum, sed duntaxat ministerium illam custodiendi, proponendi & explicandi.

Scriptura manet fidei norma, licet omnes eam allegent.

2. Quantumvis omnes hæretici Scripturas jactitent, non tamen sequitur, quòd ex illis nulla fidei certitudo hauriri queat. Fucus enim apparet tandem, si quis in timore Domini & verâ devotione animi consideraverit. Jactitant etiam omnes verâ Ecclesiæ nomen, successionem doctrinæ, concilia & Patres. Neque tamen Pontificij ob id pro infirmis habent argumenta, ex notis istis deducta.

Num privatū sensum sequamur in Scripturarum expositione?

3. Quòd de privato in exponendis Scripturis sensu profertur, mera calumnia est. Nec n. sensum inferimus, sed auferimus. Et de articulis fidei tam perspicuè loquitur S. S. ut mentē ejus quis intelligat. Ideò n. loquitur, ut intelligamus. Quando igitur verba capimus, ut sonant, certè non privatū sensum, sed S. Spiritus ductum sequimur. Epistola animi est nuncia, & se ipsam explicat; nec loquentis, sed scribentis sensu nititur. Magni Jehovah epistola est Scriptura, eo fine data, ut voluntatē Dei cognosceremus. Quando igitur legimus, tum ipse sensus ex verbis fluit, ideòq; dictamen S. Spir. non privatū sequimur judiciū. Nec te offendat, quòd hæretici quoq; de sensu ex ipsis verbis peto glorientur. Hoc enim omnibus temporibus factū; hæc illa causa est, cur orare, scrutari & meditari debeamus, quod si fiat, verū à falso facile discernemus. Omnes caudidici jactant leges, legūq; sensum genuinū: Num v. hinc leges ad decidendū ineptas esse, nec certū sensum parere consequitur? *Deinde* si Scriptura sensu Ecclesiæ exponi debet, quæro quid per *Ecclesiā* intelligas? Si *verā & Apostolicā*, non satis fiet dubitanti. Eam n. ignorat, ideòq; per religionis scrutiniū quærit. Nam qui ambigit de vera fide, ambigit etiam de vera Ecclesia, ad quā si remittis illū, in circulum ducis. Si *Patres* putas, & secundū illos Scripturas in omnibus exponendas censes, multa opponi possunt. Utiliter illorū scripta legi & in expositionibus adhiberi posse nō diffitemur, interim Canon & norma verè interpretationis constitui nec possunt, nec debēt. Si n. cū adhuc nulli Patres essent, Christiani Scripturas Apostolicas rectè intelligebāt, sensū ex ipsa lectione & litera capientes; cur quæso nunc adeò sit obscura, ut nemo illā de rebus fidei loquen-

quentem absq; Patrū commentarijs intelligere queat? Et annon idē de Patribus, quod de Scriptura reponi posset, nimirū illos exponi juxta privatū sensū? Satis certē testatur hoc Pontificij, pro lubitu corrigētes, castrātes, & varia commēta excogitātes, ut Patres in suas partes pertrahāt. Adde quōd Patres omnes de omnib; nō scripserint; nec omniū scripta habeātur, & quæ habeātur, sæpē sint supposititia ac adulterata, quōd rarissimē consentiāt, sepissimē loquātur perplexē dubieq; ut profectō nullus Scripturę sensus sit futurus, si ex Patrū consensu depēdeat. Merus ig. fucus est, quādo de Scriptura juxta Patres exponēda rhetoricatur adversarij. Eo n. fine faciūt, ut ab ipsa nos abducant, & se in vasto Patrū castratorū Oceano occultare queant. Imō non Patres, sed suū Pontificē unicē intelligunt, quando se magisteriū Ecclesię in Scripturis interpretandis sequi prætendunt. Quicquid n. ille decernit, & prout ipse verbū Domini exponit, id illis SSctum est & tenacissimē credendū. Hoc certē nihil aliud est, quām juxta privatū sensum interpretari, & fidem suam à privato unius hominis judicio vel potius præjudicio suspendere. Quæ tandem *πληροφωρεῖα*, quæ certitudo enasci potest? Papa non est judex legitimus & ordinarius, quia jus hoc demonstrare nequit; non est absolutus ac summus, sed pariter cum alijs Christianis ad Scripturam adstrictus. non est universalis, quia si de hæresi suspectus sit, quis judicabit? non est infallibilis, cūm immediatam perpetuamque S.S. assistentiam non habeat, cūm errare possit & hallucinari etiam in interpretatione sacrarū literarū, fatente *Alphonso* l. i. contra hæress. c. 4. cūm deniq; actu ipso sæpissimē erraverit, uti non ignota sunt exempla quā plurima. Nec enim attendit vel *Scripturam*, quam putat esse ambiguum; vel *Concilia*, quibus se superiorem jactitat *dist. 16. c. 7. Concilia. Causā 9 q. 3. c. 17. Cuncta; Decret. Greg. l. i. tit. 9. de Elect. c. 4. Significasti;* vel *Patres*, quos negligi posse, si ipsis commodum videatur, contendunt *dist. 19. c. 1. Si Romanorum*. Et *Duræus* in *confut. R. Withak. rat. 5. scribere non erubuit: Patres non censentur Patres, cūm suum aliquid quod ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt vel doceant.* Ita nimirum Patres à Romano Pontifice recipiuntur, si placuerint; rejiciuntur, si displicuerint. Nunc ergo quis eligat, num in rebus

Papa non est
index contro-
versiarum.

fidei tutius sit, à privato unius mendacis hominis iudicio pendere, quàm ipsam Scripturam, fidei salutare organon consulere, & amplecti? Insignem sanè fraudem committunt Jesuvvitæ, cum de Ecclesiæ per omnes ætates consentientis magisterio rhetoricantur. Hoc enim ipso à Dei verbo nos avocant, & ad solum Pontificem remittunt, adeoq; per circulum trahunt. Nam à nobis quæritur, *An dogmata Papistica sint vera?* Affirmant illi, & Scripturâ sepositâ, rationem hanc dant, quia ab Ecclesia, hoc est, Papa sint proposita, uno verbo, *quia sint Papistica*. Vides igitur circulum, & idem per idem probari, nempe *dogma Pontificis est verum, quia est Pontificis*, quod annon sit hominibus illudere, quis tam obesæ naris est, ut non olfaciat?

XXXIX.

II. Supponit, *Ecclesiam Romanam esse veram, & in illâ sola haberi consentientem Scripturæ interpretationem, fideiq; declarationem*. At verò utrumq; falsum. Concedimus Ecclesiam veram audiendam, ejusq; ductum in verbi divini expositione sequendum esse. Negamus autem, Romanam Synagogam esse illam veram Ecclesiam, hoc enim ipsum in quæstione adhuc versatur, ut ita valdè ridiculus sit discursus Jesuvviticus, hoc secundo fundamento comprehensus, quippe qui non est alius, quàm iste: *Papistica religio est verax. Cur? Quia Papistica Ecclesia unanimiter id affirmat*. Bellum profecto argumentum, acumine Jesuvvítico dignissimum! Deinde vanum est, quod de consentiente interpretatione & fidei declaratione profertur. Infrâ enim ostendemus, qualis in Papatu regnet concordia, quàm multis discordijs sit permixta. Videantur interim vel solæ contradictiones & dissensiones in operibus Bellarmini notatæ, & à D. Pappo quondam collectæ.

XI.

III. Supponit, *Scripturam à Luthero adulteratam esse, ideoq; in rebus fidei tuto consulè non posse*. Resp. Si maximè Lutheri versio Germanica quibusdam mendis esset inquinata, num ob id ipse textus originalis purissimus foret abjiciendus? Deinde exempla depravationis, quæ p. 42. proferuntur, vel penitus conficta, vel sinistrè accepta sunt.

Absurditas discursus Jesuvviticæ.

An Lutherus corrupit Scripturam?

De dicto Psal. 50. v. 14.

1. Dictum Psal. 50. v. 14. de votis Altissimo reddendis corrupisse ait, per

per marginalem glossam, quæ de voto fidei & cultus divini exponit. Resp. Jesuvvita vult ostendere, textum ipsum à Luthero esse depravatum; præsens verò exemplum non de textu, sed interpretatione agit. Est igitur ignoratio Elenchi. Deinde, quænam subest falsitas, quòd Lutherus sententiam de votis Deo reddendis ad votum pietatis universale & Catholicum κατ' ἐξοχλῶ accommodat? Ad hoc certè vel maximè obstricti sumus, ut Deum colamus, & juxta præceptum primum ipsi soli confidamus.

2. Lutherus sacram illud proverbium, *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. 31, v. 10. hoc germanici rythmi glossemate exornavit: *Nichts liebers ist auff Erden / Als Frauen lieb wems fan werden.* Resp. Iterum hoc non est textum depravare, quod quaeritur, sed aliâ simili locutione declarare. Loquitur ibi Lutherus de vero, licito & matrimoniali amore, sed impuri porci accipiunt de vaga libidine, quia coinquinatis nihil est mundum, Tit. 1, v. 15. De amore & delitijs conjugum ipse Salomon in Proverbijs multa scripsit, ut c. 5, v. 19. & c. 18, v. 22. quæ si in Luthero legerent, mox ut libidinofissimum hominem, publicè ipsum proclamarent.

De dicto Prov.
31. v. 10.

3. Lutherus ut sacris hominibus jus thalami daret, illi Paulino dicto 1. Corinth. 9. (Jesuvvita citat c. 5.) v. 5. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* de suo sacrilegus conjunx adjecit *in uxorem.* Resp. Nihil de suo addidit, sed perspicuè reddidit sensum horum verborum, ἀδελφῶν γυναῖκα περιάγειν, eine Schwester zum Weibe mit umbher führen. Loquitur enim Paulus de continua unius mulieris circumductione, quæ vel fuit concubina, vel uxor legitima. Prius cùm absurdum sit, posterius verum erit. Et cùm exemplum Petri alleget, dubitari nequit, quòd de uxoribus Apostolorum loquatur. Petrum enim fuisse uxoratum constat ex Matth. 8, v. 14. & idem de Philippo Eusebius l. 3. H. Eccles. c. 24. & Niceph. Call. l. 2. c. 44. ex Clemente referunt.

De dicto 1. Cor.
9. v. 5.

4. Taxat Lutherum ob particulam solam Rom. 3, v. 28. additam. Resp. Miror, quòd Jesuvvitas non pudeat, tam futilem & vel millies protritam cavillationem repetere. Reddidit Lutherus ipse versionis suæ rationes Tom. 5. Jen. Germ. fol. 140. & seqq.

De exclusivâ
Rom. 3, v. 28.



edit. post. anno 75. quæ defumta sunt ab officio interpretis, cuius est perspicuè authoris mentem exponere, sive fiat pluribus sive paucioribus verbis; ab exemplo Scripturæ Deuteronom. 6, vers. 13. 14. Matth. 4, vers. 10. ab exemplo interpretum in alijs Scripturæ testimonijs, ut Genes. 3, vers. 11. LXX. addiderunt particulam exclusivam, & vulgata versio Deuteronom. 12, v. 32. 2. Paralip. 20. v. 12. Zachar. 8, ver. 19. Quibus rationibus qui nondum contenti sunt, eos ulteriori responso indignos, & versiculo, *Sic volo &c.* ad redarguendam illorum impudentiam, excipiendos esse Lutherus rectè censuit.

De dicto Act.
15. v. ult.

5. Versum illum in Apostolicis Actis: *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum* Actor. 15, ver. ultim. *legum Ecclesiæ contemtor sacrilegâ censurâ expunxit.* Resp. In textu originali græco non reperiuntur verba ista, ideoq; Lutherus sacrilegij falsò accusatur. Eadem verba omisit Syrus & Erasmus in versione: num verò & isti sunt sacrilegi? C. 16, v. 4. simile quid habetur, quæ verba Lutherus non expunxit, sed rectè vertit, & proinde legum Ecclesiæ contemtor non fuit.

De dicto 2. Petr.
1, v. 10.

6. *Principis Apostoli seriam monitionem, satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis,* 2. Petr. 1, vers. 10. *bonorum operum capitalis hostis, (Lutherus) illud per bona opera excindens, ausu impio truncavit.* R. At verò nec illa vocabula reperiuntur in græco, cur igitur Lutherus immiscere debuit versioni Germanicæ? *Per bona opera,* inquit Erasmus ipse in annotat. *apud Græcos non reperio additum.*

De dicto 1. Th.
4, v. 3.

7. *Non potuit sacrilego pellicatu infamis manum abstinere, quin illud castissimum Apostoli edictum: ut abstinere vos à fornicatione,* 1. Thessalon. 4, vers. 3. *pu dendâ limâ eraderet.* Respond. Apertum & insigne hoc mendacium est, cum Lutherus ita verterit: *Das ist der wille Gottes ewer Heiligung/ das jhr meidet die Hurcrey.*

8. *Integri libri à Luthero ejusq; affectis ex corpore sacrarum literarum crudelissimè execti sunt.* Resp. Qui in codice Biblico Latino reperiuntur libri, eos omnes Lutherus retinuit & vertit, exceptis 3. & 4. Esdræ, nec non tertio Machabeorum, quos nec ipsi Pontificij adprobant. Quòd autem distinctionem quandam facimus, nec omnes authoritate canonicâ valere arbitramur, graves subsunt &

& evidentes causæ, quas Nostri prolixè alibi recensuerunt. Interim apocryphos libros non damnamus planè, sed ad ædificationem facere & utiliter legi posse, haut inviti concedimus.

9. Subjungit quædam dicta ex *Tertulliano* & *Augustino*, quæ, ut & cætera Patrum testimonia passim allegata, hic singulatim examinare non fert modus *Ἱερέων*, ideoq; illa vel plenæ refutationi vel ipsi collationi reservata volumus.

XLI.

Quibus ita declaratis, ad argumentum ipsum respondere non amplius est difficile. *Majorem* concedimus, si Ecclesia vera, ejusq; genuinum in Scripturis explicandis officium, non verò superciliosum magisterium intelligatur. *Minorem* verò negamus, quippe quæ tota falsis præsuppositis nititur, & meras principij petitiones continet, unde simul quatuor termini in argumento apparent, dum in *majore* de vera Apostolica, in *minore* de falsa Papali Ecclesia sermo est, quo pacto perit omnis consequentia & arenosum hoc fundamentum planè corruit.

Fundamentum tertium.

ORIGO APOSTOLICA.

XLII.

Multa commiscet Jesuwita, quæ sequentibus fundamentis fusiùs proponit, qualia sunt multitudo credentium, necessitas miraculorum, & continuata Episcoporum successio; de quibus, cum infra sit agendum, solam originem Apostolicam, hic intuebimur, ex qua talem discursum instituit:

Quæ religio gaudet Apostolicâ origine; illa sine dubio vera & amplectenda est. Sed religio Papistica, non Lutherana, gaudet Apostolicâ origine. Ergo religio Papistica, non Lutherana, sine dubio vera & amplectenda est.

*Origo Apostolica
ca triplici re-
spectu dicitur.*

XLIII.

RESPONDEO AD MAJOREM. Origo Apostolica considerari potest 1. respectu *doctrinae* ipsius, quod ab Apostolis sit tradita. 2. respectu *ministerij*, quod officium docendi non sit privatâ authoritate sumtum, sed ab Apostolis deductum. 3. Ratione *personarum*, quod à tempore Apostolorum semper fuerint pastores Apostolis succedentes, & in publico ministerio constituti. Hunc tertium respectum imprimis attendunt Papi-colæ, quo sensu majorem non concedimus, sed probari petimus. Nec enim protinus vera & Apostolica est Ecclesia, quæ longâ serie suos numerare potest Episcopos, ut infra demonstrabitur. Si verò per originem Apostolicam doctrinae & ministerij divinitas intelligatur, tum propositionem istam lubenter concedimus, ipsiq; urgemus.

XLIV.

RESPONDEO AD MINOREM, quæ bimensbris. 1. Quod attinet originem Apostolicam, respectu *doctrinae* sumtam, illâ nequaquam destituimur. Apostolica est confessio nostra, non quod immediatè ab Apostolis sit conscripta, ideoq; inter eorum codices reponenda, ut pueriliter garrit Jesuvvita p. 56. verùm quia cum Apostolorum doctrina in N. T. comprehensa, penitus consentit. *Sed idem, inquit, jactant Pontificij.* Instituatur Ergo examen & collatio, inspiciantur libri Apostolici, & cum ijs conferantur singuli articuli: videbit quivis, nisi excœcatus sit, quàm longè à doctrina Apostolicâ distent dogmata Papalia de Scriptura imperfecta & ambigua, de primatu Petri & Pontificis, de invocatione sanctorum, de cultu imaginum, de institutis monachorum, de purgatorio, de missa, de communionem sub una specie, de pœnitentia, de gratia, de libero arbitrio, de lege & Evangelio, de justificatione & meritis bonorum operum. Certa est victoria nostra; nostræ doctrinae origo certatur Apostolica, quamprimum in certamen Scripturarum descenditur, quod idcirco modis omnibus declinandum esse suadent. declinare verò nequeunt, si origo Apostolica sit inquirenda & demonstranda.

XLV.

Verum obicit, p. 64. *Omnia Sacramenta, quae Apostoli ex Christi traditione reliquerunt, nos abstulisse; ideoque de consensu cum doctrina Apostolica gloriari non posse.* 1. *Baptismum Iohannis profert, quem cum Christi Baptismo confundamus, contra textum Act. 19, v. 5. qui locus varijs glossis corrumpatur, Resp. Num Sacramentum Baptismi statim auferimus, quia essentialem unitatem utriusque Baptismi, Iohannis & Christi agnoscimus? Ipsa Scriptura innuit Baptismum Iohannis convenire cum Baptismo Christi causâ efficiente, Ioh. 1, v. 33. materiâ Matth. 3, ver. 11. & Luc. 3, ver. 3. formâ, quoniam Iohannes procul dubio baptizavit in nomine Dei veri, qui unus est essentiâ, trinus personis, tandem fine & effectu, qui fuit remissio peccatorum, Marc. 1, v. 4. Luc. 3, v. 3. 7. Qui ergo essentialiter distingui poterunt? Locus Act. 19. de rebaptizatis discipulis Iohannis, à veteribus variè fuit expositus. Si maximè concedatur, illos verè fuisse rebaptizatos, hinc tamè efficaciam baptismi Iohannitici nihil deedit, quia rebaptizati sunt, non ad consequendam remissionem peccatorum & fidem, quippe quam habuerunt antè juxta v. 2. sed ad impetranda dona Spiritus sancti miraculosa, quae in Baptismo Christi plerumque conferebantur. Istis enim carebant, & propter ista conferenda unicè facta est rebaptizatio, uti constat ex v. 2. & seqq.*

De Baptismo Iohannis & Christi.

Baptismus Christi & Iohannis rebaptizatio videtur.

XLVI.

2. Ait, nos ridere Sacramentum confirmationis, quod tamen agnoscant Veteres, & fluat ex ritu Apostolorum baptizatis manus imponentium. p. 65. R. Erat in primitiva Ecclesia confirmatio *ἐξέτασις* quaedam catechumenorum post Baptismum acceptum, & puerorum in infantia baptizatorum, qui sistebantur Episcopo, ut ederent confessionem fidei, quo facto manuum impositione illam confirmavit, & spiritualium donorum incrementa precatus est. Post successu temporis adhibuerunt oleum citra superstitionem, non ad constituendum peculiare Sacramentum propriè dictum, sed ad internam Spiritus sancti unctionem indicandam. In nostris Ecclesijs catechetica institutione & examine juventutis, quod fecerunt Veteres, compensamus. In Papatu oleum cum balsamo miscetur, ab Episcopo consecratur, & frons puerorū ad

De Sacramento confirmationis.

E

ali-

aliquam ætatem provectorum imagine crucis insignitur, his
 verbis: *Signo te signo crucis & confirmo chrismate salutis, in nomine Patris
 & Filij & Spiritus sancti.* Post lineâ fasciâ frons obligatur, ne san-
 ctum chrisma defluat, quod ad pugnam & victoriam spiritua-
 lem multùm conducere arbitrantur. Hunc ritum Sacramen-
 tum esse, quî tandem probabunt Papicolæ? Scribit Bellarm. *l. 1.
 de Sacram. c. 33.* omnia Novi T. Sacramenta à Christo immediatè
 fuisse instituta, & hoc velle *Concil. Trid. sess. 7. can. 1.* Monstretur,
 autem vel unica syllaba de confirmatione à Christo ipso insti-
 tuta. *Textus Act. 8. v. 17. & c. 19, v. 6.* loquitur non de confirmati-
 one, sed miraculosa donorum collatione; non de pueris con-
 firmandis, sed de adultis Spiritu sancto implendis, non de gratia
 ordinaria, sed donis extraordinarijs. Nihil ibi de oleo, nihil de
 balsamo & unctione, nihil de institutione novi Sacramenti per
 Christum immediatè facta habetur, sed de collatione doni mi-
 raculorum sermo est, peracta ab Apostolis per impositionem
 manuum, quæ si Sacramentum fuit, jam crescet numerus, nec
 septem, sed octo Sacramenta erunt in posterum statuenda,

XLVII.

De transsub-
stantiatione.

3. Nos in Sacramento cœnæ contra proprietatem verborum panis trans-
 substantiationem negare, adeoq; novum Christi impanati, sicut incarnati,
 mysterium inducere, pagin. 66. Resp. 1. Papicolæ potius augustissimi
 Sacramenti corruptores sunt, dum utramq; rem terrestrem,
 panis & vini substantiam tollunt, & alteram rem cœlestem,
 nempe calicem benedictum, Laicis suffurantur. Nos pro utri-
 usq; integritate pugnamus; quî Ergo Sacramentum Cœnæ au-
 ferimus? 2. Panem transubstantiari Scriptura non innuit, sed
 potius de discipulis refert, quòd illum ipsum panem, quem
 Christus fregerat, omnes manducarint. Quod insuper Aposto-
 lus confirmat *1. Cor. 10, v. 16.* ubi sermo est de tali pane, qui fran-
 gitur, quod solis accidentibus non competit, & dicitur, quòd sit
ἡ ὁμοιωσις corporis, ideoq; non est substantialiter ipsum corpus,
 cum nihil sui ipsius sit participatio. Accedit quòd *1. Cor. 11.* idem
 Apostolus aliquoties expressissimè panem nominet *v. 26. 27. 28.*
 Quis autem credat Paulum tam improprie locutum fuisse & per
 pa-

panem mera accidentia panis notasse? 3. Falsum est, *neminem fidelem unquam dubitasse de transsubstantiatione*. Videatur Bellarminus ipse, varias & discrepantes Pontificiorum opiniones recensens l. 3. de *Euchar. capit. 11*. Erasmus scribere non erubuit, in præfat. super l. 4. Irenæi adversus hæreses: *De transsubstantiatione nihil apertè dicit, nisi quòd Christus panem ex frumento confectum, dixerit corpus suum, vinum sanguinem suum confessus sit. Hinc constat toti veteri Ecclesie transsubstantiationem & re & nomine fuisse ignotum*, citante Sutili-
viol. 2. de *Euchar. c. 4*. Tandem 4. Calumnia est, quod de Christo impanato objicit. Nec enim panis & corpus uniuntur personaliter, ut λόγος & caro: sed conjunguntur Sacramentaliter, ut mediante pane corpus, & vino sanguis Domini exhibeatur. Et cum Christum sub accidentibus panis latere existiment, num statim illum impanatum vel inaccidentatū esset pronunciabūt?

XLIX.

6. *Nos pœnitentiam de Sacramenti dignitate dejectam velle.* pag. 67. *De pœnitentia.*
Resp. Aliter definitur pœnitentia à Pontificijs, aliter à nobis. Illis est contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis: Nobis est contritio & fides. Neutro a. modo Sacramentum vocari potest. 1. quia communis est Veteri & Novo Testamento cùm tamen omne Sacramentum, alterutri Testamento sit peculiare. 2. quia non est medium confirmandæ fidei. Nec enim pœnitentia se habet ad fidem, ut ὀργάνον confirmans & obsignans, sed tanquam totum ad suam partem. Interim verò pœnitentiam non tollimus, licet Sacramentum specialiter ita dictum esse ne-
gimus, imò etiam generali sensu hoc ipsi nomen tribuit Apologia
A. C. art. 13.

XLIX.

5. *Nos totas Apostoli Iacobi literas expunxisse, ne extremæ unctionis Sa-
cramentum cogeremur recipere,* p. 67. *De Extremæ unctione.*
Respon. 1. Nos minimè expungimus Jacobi epistolam, licet in primitiva Ecclesia nonnulli Patres, & nostro tempore Lutherus de illius authoritate dubitaverit. 2. Unctio in primitiva Ecclesia fuit miraculosa sanationis medium, ut ex Marc. 6, v. 13. & Iacob. 5, v. 14. colligimus. Postquam verò miraculis confirmatum est Euangelium, cessavit hoc donum, & otiosa est extremæ unctionis ceremonia, non habens rationem Sacramenti, cum careat im-

mediatâ Christi institutione, mandato, re cœlesti & promissione. Nec quicquam juvat ipsos Jacobi locus c. 5, v. 14. Loquitur ille de infirmitate corporis, Pontificij de infirmitate animæ: ille de convalituris: hi de certò morituris. Promissio de peccatorum venia, v. 15. non oleum, sed *ἔλαιον τῆς πίστεως* respicit, ut cuiusvis legenti manifestum est. Et notetur, quòd *Cajetanus* in Comment. super epistol. Jacob. expressè scribit, *nec ex verbis, nec ex effectis colligi posse, quòd locus ille de Sacramento extremae unctio- nis agat.*

L.

De ordine.

6. Nos Sacramentum ordinis rejicere p. 67. R. Sacrosanctum ministerium nequaquam tollimus, sed potius extollimus. Deinde ordinationem minimè rejicimus, cum sit Ecclesiastica constitutio, cujus usus non est physicus, consistens in impressione alicujus characteris indelebilis, quippe quem Scriptura suo silentio jamdudù delevit, sed Ethicus & moralis, ut per illum ministerij dignitas indicetur, minister sui officij admoneatur, & oviculae Domini coràm velut in sinum ejus deponantur. Negamus autem rectè, hanc ceremoniam Sacramentum esse, quòd nomen multò minus competit ordini Papistico, quia 1. caret immediatâ Christi institutione. 2. & parte cœlesti à promissione distincta. 3. & promissione gratiæ. (nam 1. *Tim.* 4, v. 14. & 2. *Tim.* 1, v. 8. loquitur Paulus non de gratiâ justificationis, sed ministerij, ad cujus usurpationem excitare Timotheum voluit Apostolus) 4. & externo distincto ritu. Manuum enim impositio non sufficit, cum illa & in confirmatione & in absolutione adhibeatur.

L I.

De matrimo-
nio.

7. Nos matrimonium eximere numero sacramentorum, & pontificijs injuriam facere, ac si de statu conjugali minus honorificè sentiant, pag. 67. Resp. 1. Matrimonium esse genus vitæ Deo acceptum & publicæ salutis fructuosum, jampridem docuimus: quòd verò sacramentum sit propriè dictum, unde probabitur? Ubi habetur promissio spiritualis gratiæ? Ubi externum visibile elementum? Ubi pars altera cœlestis? Reperitur in Veteri & Novo Testamento, in Ecclesia & extra Ecclesiam; similiq; ratione Magistratus etiam vocari posset sacramentum. Locus *Eph.* 5, v. 32. pro ipsis non facit. Decepti sunt vulgatâ versione, quæ habet sacramen-
tum,

tum, cum in græco sit *μυστήριον*, quale est conjugium, ob signifi-
 catam Christi & Ecclesiæ conjunctionem arctissimam. 2. Licet
 matrimonio multum videantur tribuere, parum tamen præter
 nudum sacramenti nomen adsignant. Re ipsâ enim pro statu
 carnali habent, uti patet ex *dist. 82. cap. 2.* Et si sacramentum est
 gratiam conferens, cur prohibetur clericis? An sacramentum
 unum profanat alterum? conjugium, ordinem? Num sibi invi-
 cem contraria sunt sacramenta, ut uno posito, removendum &
 prohibendum sit alterum?

LII.

Uti verò hæctenus Jesuvvita nostrum à doctrina Apосто-
 lica diffusum: ita nunc cum hæretica consensum evin-
 cere conatur. Objicit p. 68. nos Simonem Magum sequi, tum quia De-
 um malorum autorem esse, tum quia solam fidem prodesse statuamus. Resp.
 In utroq; objectionis membro impudentiam suam prodit; &
 quidem in primo mentiendi, in secundo calumniandi studium,
 ¶ *Ad 1.* est, nos Deo malorum causam tribuere, refutatum cla-
 rissimè *art. 19. A. confessionis.* Calumnia est, quòd doceamus, solam
 fidem prodesse, bona opera obesse salutis. Vcl millies clamavi-
 mus, fidem solam quidem justificare, sed nunquam, nunquam
 sine bonis operibus solam consistere posse, ideoque hypocritæ
 sunt, qui fidem jactant, nec bonis operibus ostendunt. Cur er-
 go toties repetunt calumniam de fide à bonis operibus separata
 & solitaria? Distinguant inter fidei *gratiam* vcl essentiam, & in-
 ter *ὑπαρξιν* vcl existentiam. Fides sine operibus essentielle su-
 tum officium exequitur, non tamen separata, vel sine operi-
 bus existit. Fidei *ἀγαθότητα* à bonis operibus profiteamur, sed *ἀφαι-
 ρεσιν* diffitemur. Quod duriora Lutheri verba concernit, ista o-
 mnino nullum absurdum pariunt, si memores simus, quòd de o-
 peribus in justificatione consideratis locutus fuerit. Obesse
 autem bona opera salutis à falsis fratribus, à nobis minimè di-
 ctum est, quòd evincit *art. 4. Form. Concord.* ubi propositionem
 istam *de operibus ad salutem perniciosam* apertè rejicimus & damna-
 mus.

An Simonem
 Magum sequi-
 mur?

LIII.

Jam si nobis placeret pariare, quot antiquas hæreses in Pa-

Quos hereti-
 cos Pontificij
 patu sequantur.

patu veluti sentina quadam confluentes objicere possemus? Ipsi sunt 1. *Simoniani*, ob Scripturarum accusationem, traditionum jactationem, & Simoniae exercitium. 2. *Pseudoapostoli*, ob legis & Evangelij, operum & fidei confusionem. 3. *Satur-niani*, ob matrimonij & esus animalium prohibitionem. 4. *Gnostici*, ob imaginum cultum religiosum. 5. *Valentiniani*, ob Scripturae contemptum. 6. *Heracleonite*, ob extremam unctionem. 7. *Archontici*, ob Angelorum choros excogitatos. 8. *Marcionite & Encratite*, ob coelibatum. 9. *Apostolici*, ob monasticen. 10. *Montaniste*, ob severas jejuniorum leges, purgatorium & limbum Patrum. 11. *Melertiani*, ob frequentem tintinnabulorum usum. 12. *Novatiani*, ob dogma dubitationis. 13. *Samosateniani*, ob negatam communicationem idiotum. 14. *Manichei*, ob nuptias Laicis concessas, clericis prohibitas, & jejunium in abstinentia à carnibus positum. 15. *Donatiste*, ob sanctitatis perfectae opinionem. 16. *Pelagiani*, ob extenuationem peccati originalis & commendationem liberi arbitrij; & tandem 17. *Collyridiani*, ob virginis Mariae cultum religiosum; quae omnia attigisse sufficit, cum pleniorum explicationem instituti ratio non admittat.

LIV.

II. Quod porrò concernit ministerium Lutheri & nostrum, de quo secundum minoris membrum agit, illud quidem origine divinum & Apostolicum esse Jesuvvita pernegat, sed probationes ipsum deficiunt. A nobis postulat, ut probemus, Lutherum à Deo missum & ad opus reformationis legitime vocatum esse. Obtemperabimus postulanti, & mentem nostram ita explicamus, quòd Lutheri vocatio respectum duplicem admittat, quorum alter praedicationem verbi, alter reformationem Ecclesiae concernit.

LV.

I. Respectu praedicationis, ordinariè & mediatè vocatus est ab hominibus, qui tum temporis potestate mittendi utebantur, & quidem tribus modis. 1. cum ad Ecclesiasticum munus vel presbyter ordinaretur. 2. cum professio Theologica,

Ministerium Lutheri

De vocazione Lutheri.

I. Respectu praedicationis.

gica ipsi demandaretur. 3. cum insignia & privilegia Do-
ctoralia conferrentur: quo pacto factus est ad verbum Dei
rectè docendum debitor, tum *populo*, ut presbyter; tum *studio-*
sis, ut professor; tum *toti Ecclesie*, ut doctor. Licet verò
Pontificij fuerint, à quibus vocabatur, in modo quoque ordi-
nandi & vocandi multa desiderentur, ea tamen vocationis &
ordinationis substantiam non tollunt. Quamvis etiam ex-
pressè non vocaretur ad oppugnandum Papatum, attamen dum
ad doctrinam Apostolicam prædicandam vocabatur, conse-
quenter etiam ad idolomanias Papisticas ostendendas missus
est, quippe quæ duo simul consistere nequeunt. Unde perjurus
minimè factus est, Ecclesiam Romanam, cui promisit obedi-
tiam, oppugnando. Duo enim contraria juramenta tum tem-
poris in promotionibus erant à quovis præstanda: *alterum*, quòd
fidem Apostolicam tueri; *alterum*, quòd Ecclesie Romanæ ad-
hærere velit, quorum posterius tollit prius, & contrà. Quia ve-
rò magis Deo, quàm hominibus obediendum esse Lutherus no-
vit, ea de causâ posteriori juramento tanquam illicito se non
obstringi, rectè & prudenter censuit.

LVI.

Quærit hîc Jesuvvita, num Episcopus, qui Lutherum vocavit & or-
dinavit, verus fuerit an falsus pastor, an lupo? Si pastor, inquit, pagin.
59. ab illo discedens, Luthere, lupo factus es. Si lupo, quis te à lupo fa-
ctum pastorem agnoscat? Respondeo. Distinguendum est inter
officium ipsum & illius administrationem. Potest quis in
officio divino, adeoque verus pastor esse, & potest simul illud
malè administrare, atque hoc respectu lupo fieri. Phariseo-
rum exemplo id manifestum evadit, quippe qui erant pastores
veri quoad officium, quoniam in Mosis cathedra sedebant,
Math. 23. v. 2. & nihilominus erant lupi, fures, & latrones, Ioh. 10. v.
8. quoad executionem vel muneris administrationem. Par ratio
est Episcoporum Papalium, quorum officium est legitimum,
executio illegitima. Lutherus autem munus, quod accepit divi-
num, rectè etiam administrare voluit, ideoq; Papatum idolola-
triâ plenum deseruit, & Ecclesiam verbo Domini reformavit,
non

non secus atq; Zacharias, Johannis Baptistæ Pater, per Pharisæos quidem in sacerdotio confirmatus est, Pharisæorum tamen doctrinæ minimè subscripsit, nec ob id lupus factus est, sed potius laudabilis divini officij administrator.

LVII.

Objicit pag. 60. Lutherum esse quidem vocatum presbyterum, sed non Episcopum, qui presbyteros vocandi & consecrandi potestatem solus habeat. R. Jure divino idem est officium, eademq; potestas presbyteri & Episcopi, quicquid contra disputent Jesuvvitæ, & in primis Bellarminus l. 1. de memb. Eccl. milit. c. 14. & 15. Nam presbyteri Ephesini Act. 20, v. 17. expressè vocantur Episcopi v. 28. Apostolus Tit. 1, v. 5. præcipit, ut constituantur presbyteri, quibus nomen Episcopi tribuitur v. 7. Et 1. Tim. 4, v. 14. impositio manuum assignatur presbyterio. Et 1. Pet. 5, qui v. 1. nominantur presbyteri, v. 2. dicuntur Ἔπισκοποι ἑντες: quam ipsam sententiam approbat Hieronymus tom. 2. epist. 85. ad Evagrium, & tom. 6. super c. 1. epist. ad Titum.

LIIIX.

2. Respectu reformationis.

2. Respectu reformationis Ecclesiasticæ aliquid extraordinarij invocatione Lutheri delitescit. Singulari enim instinctu Dei excitatus est, ut Antichristus revelaretur, & ab ejus jugo Ecclesia liberaretur. Ubi miraculis opus non fuit, cum doctrina jam antè miraculis Apostolicis comprobata satis fuerit, & falforum Prophetarū sit, prodigia jactare Matt. 24, v. 24. Habemus interim alia haud obscura divinæ istius missionis indicia & argumenta qualia sunt 1. vaticinia de ipso edita tum Apostolica Apoc. 14, v. 6. & 6. 18, v. 1. tum Ecclesiastica, quorum alterum in templo Friderici Barbarossæ expressum, ubi statua Monachi extructa circa annum Christi 1170. cum inscriptione: LVTERVS, referente Theophrasto Paracelso in Chronicis Carinthiæ, alterum Johannis Husi, ad rogam euntis dicentisq;: Post centum annos veniet cygnus, quem assare non poteritis. 2. doctrinæ divinitas & cum canone Apostolico congruentia. 3. Inexpectata veritatis notificatio. 4. sub onere ac opere divina protectio. 5. donorum singularis excellentia, quò referimus peritiam linguarum, dexteritatem in vertenda & explicanda Scriptura, magnanimitatem & imperterritum

um in summis adversitatibus robur: quæ omnia Lutherum divinus ad reformandam Ecclesiam fuisse instigatum luculenter testantur.

LIX.

Uti verò Lutherus, ita & ministri hodierni legitimè vocantur ab Ecclesia, cui hoc jus propriè competit. Hunc enim plerumq; servamus ordinem, ut 1. nominetur certa persona. 2. ejus doctrina & vita à ministris exploretur. 3. Ecclesiæ sistatur. 4. si hæc consentiat, eligatur. 5. à magistratu confirmetur. & 6. à ministerio ordinetur. Atque sic omnes tres status juxta antiquam praxin Apostolicæ Ecclesiæ concurrunt, adeoque omnis vocandi ratio consistit 1. in presbyterij judicio. 2. populi suffragio, & 3. magistratus confirmatione. Quàm legitimè igitur, & quo jure primis seculis à tota Ecclesia vocabantur pastores, tam legitimè quoq; & eodem jure nostri ministri hoc tempore eliguntur & vocantur.

De vocatione
ministerij Lu-
therani.

Fundamentum quartum.

PRIMATUS PETRI.

LX.

Syllogismus esto talis: *Quæ religio primatum & supremam potestatem Petri agnoscit ac defendit, illa præ reliquis amplectenda est. Sed religio Papiistica, non Lutherana, primatum & supremam potestatem Petri agnoscit ac defendit. E. religio Papiistica, non Lutherana præ reliquis amplectenda est.*

LXI.

Major hîc in controversiam venit, quam ut probabilem reddat Jesuvvita, 1. Peccata Petri extenuat. 2. locum Matth. 16. urget 3. primatum Ioh. 20. esse traditum contendit. Et tandem 4. Multa Patrum testimonia adducit, de quibus omnibus breviter agendum erit.

F

62. I. DE



I. DE PECCATIS PETRI. Magdeburgenses *Cen-
tur.* 1. lib. 2. cap. 20. in vita Petri primū annotant insignia ejus
dona & facta, pōst subjungunt ipsius nāvos & imbecillitates,
quoniam *hæ piorum animos erudiunt, nullo modo omnibus numeris
absolutam in Apostolis perfectionem fuisse,* uti loquuntur pagin. 558.
Hoc institutum Jesuvvita pessimè traducit, ac si Petrum *depri-
mere* (hoc enim verbo utitur pagin. 79.) ipsis fuisset in ani-
mo. Recensent autem lapsus Petrinos omnes, quorum *alij
leviores, alij graviores sunt,* nec opus est, ut de singulis dica-
mus, siquidem Petrum ob istos nāvos à primatu principa-
liter non removemus, sed potius ideò, quia Christus Apo-
stolis & Pastoribus Ecclesiæ primatum & dominatum o-
mnem prohibuit, *Luc. 22, vers. 25,* quia idem officium eandem-
que potestatem omnibus ex æquo Apostolis contulit, *Matth.
10, vers. 1, & cap. 18, vers. 18. cap. 28, vers. 19,* quia ipse solus Ecclesiæ
pastor œcumenicus, caput & fundamentum est, *1. Corinth. 3, ver.
11,* quia omnis generis ministros dando, nullum dedit Episco-
pum œcumenicum, *Ephes. 4, vers. 11. 12,* quia munus Apostolicum
voluit esse omnium summum & maximum in Ecclesia, *1. Co-
rinth. 12, vers. 28,* quia de Primatu & Pontificatu Petri Scriptura
penitus silet, nec unquam controversijs exortis ad authorita-
tem ejus provocatum fuisse legitur; quia ad Samaritanos ab
Apostolis ablegatur, *Actor. 8, vers. 14,* quia Judæi eum Petro ex-
postulârunt, *Actor. 11, vers. 1. & seqq.* quia controversiæ communi-
bus votis sunt decisæ ab Apostolis, *Actor. 15, vers. 6. & seqq.* quia
communem Ecclesiarum curam habuerunt, *Actor. 6, vers. 5. cap.
14, vers. 22. 2. Corinth. 11, vers. 28. Galat. 2, vers. 9. 1. Petr. 5, v. 1,* quia
Petrus ipse dominatum prohibuit, *1. Epistol. 5, vers. 2. 3. 4,* quia
Paulus æqualem cum Petro habuit dignitatem, *2. Corinth. 11, vers.
5. cap. 12, vers. 11. Galat. 2, v. 6.* imò quædam præ Petro prærogati-
vas obtinuit. Atq; hæ sunt rationes nostræ contra Pontificatum
directæ, quas in scholis Acad. *disput. 4. quest. 5. & 6.* fusè ab exce-
ptionibus Papisticis vindicavi, quò Jesuvvitam remissum volo,
ut habeat, in quo se exerceat.

Cumulatio ar-
gumentorum
contra prima-
tum Petri.

Peccata verò Petri quod attinet, nullo fine alio commemoramus illa, quàm ut imperfectio Apostolorum innotescat, neque Petro nimium tribuatur. Extenuat Jesuvvita pleraque, & quibusdam dictis Patrum, nimis faventium Petro emollire satagit, sed talia sunt, ut emplastra non admittant. Peccavit sanè 1. Curiositate *Matth. 14, vers. 28.* dum petijt à Christo, ut sibi daretur unà facultas in aquis ambulandi, quo facto incidit in peccatum gravius, nempe *amissionem* & diffidentiam. Erat quidem ardor in postulato Petri, sed præceptus. Et vana est Bellarmini exceptio, miracula Dei non cooperari nostris peccatis. Nam Moses impatientiâ & diffidentiâ laborans *Numer. 20, vers. 10. 11.* Petram percussit, & nihilominus aqua effluxit. 2. Peccavit prohibitione passionis, *Matth. 16, vers. 22* aliàs certè ipsum Christus tam graviter, vocando Satanam, non objurgasset. Nec tam ex amore videtur prohibuisse, quàm dignitatis terrestris cupidine, quam Christo moriente locum non habituram; ipse facile colligebat. 3. Peccavit ambitione, quia sapiens de primatu disputavit & dimicavit cum cæteris *Matth. 18, vers. 1. Marc. 9, vers. 34. Luc. 22, vers. 24.* Peccavit 4. percussione Malchi *Matth. 26, vers. 52.* quod ex amore quidem, sed præcipiti & præpostero factum est. Christus enim armis se defendi noluit; nec impediendum erat redemptionis nostræ opus divinum. 5. Peccavit gravissimè trinâ Christi abnegatione, & sui ipsius abjuracione, *Matth. 26, vers. 70. 72. 74.* quod ne ipsi quidem Pontificij diffiteri possunt. Et tandem 6. post accepta Spiritus sancti dona peccavit simulatione *Galat. 2, vers. 14.* quia venientibus Judæis cum gentilibus noluit comedere, adeoque simulavit, ac si lex Mosaica nondum esset penitus sublata, quod factum laudari non posse, sed reprehensionem mereri Paulus ipse *vers. 11. & seqq.* indicat, adeò ut non rectè ipsum ambulare ad veritatem Evangelij palàm pronuntiaverit. Quod unum si diligentius consideretur, omnis primatus Petrinus in fumum abit. Nam 1. summum Pontificem Petrum, ex hypothese Papistica, in doctrina simulare, 2. simulando timere, 3. timendo errare, 4. Errantem à subdito vituperari.

5. vituperatum non indignari, sed 6. ad vituperantis admonitionem se corrigere; hæc omnia cum absoluto primatu, & potestate infallibili in æternum consistere aut conciliari nequeunt. Paulus enim Petrum non admonuit, ut herum servus, aut magistratum subditus: sed *in os*, inquit, *restiti*, & hoc publicè, multis audientibus, sine omni submissionis indicio, quod alioquin subdito & inferiori non licet. Rectè enim *Hieronymus* dixit, ut citatur in *decret. caus. 2. quest. 7. cap. Paulus col. 428.* Edit. Lugd. an. 1605. *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se imparem non sciret.* Verùm Jesu vitæ plus Patribus, Petrum intempestivè laudantibus, quàm claræ assertioni Paulinæ credunt & tribuunt.

LXIV.

Papatus quatuor columnis innititur.

II. DE DICTO CHRISTI Matth. 16, v. 18. Univerſa regni Papistici structura quatuor columnis innititur, sed valde infirmis & nutantibus. 1. Christum Apostolo Petro universalem Episcopatum & dominatum promississe. 2. promissum tradidisse. 3. traditum à Petro Apostolo Romæ usurpatum esse. Et 4. usurpationem istam continuari per hodiernos Petri successores, nempe Pontifices Romanos. Primam columnam extruere conantur ex isto Christi pronunciato Matth. 16, v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, &c.* quibus verbis Petro Pontificatum & supremam vicariam Ecclesiæ regendæ potestatem promissam esse contendunt, traditam verò & concessam *Ioh. 21, v. 17.* quæ tamen distinctio consistere nequit. Christus enim in præſenti loquitur, *Tu es Petrus, vel petra,* secundum Pontificios; non in futuro, *Tu eris.* Quòd si ergo Petrus tum fuit caput & petra Ecclesiæ, sequitur 1. Summum Pontificem posse Christum abnegare, quia *Petrus* id fecit; & Satanam vocari, quia Petro hoc contigit. 2. Simul & semel duos visibiles Ecclesiæ Pontifices, Christum & Petrum, actu extitisse, quod *ἀρπυ.* Verùm ut sit, nos neq; promissum, neq; concessum Petro primatum ullum credimus, & locum istum prorsus impertinenter pro stabiliendo Pontificatu allegari statuimus.

Matth. 16. non fundatur primatus Petri.

1. Quia verba sunt figurata.

LXV.
Nam 1. Verba sunt figurata & metaphórica, fatente Bell. 1. de P. R. c. 10. adeoq; non nihil obscura, ut Pontifices inde nihil nisi

nisi per remotissimam consequentiam pro se valeant concludere. Ipse Thomas dixit, *Symbolicam* (vel metaphoricam) *Theologiam non esse argumentativam*. Et Augustinus scribit contra Epist. Petil c. 5. *Illae seponenda sunt, quae obscure sunt posita, & figurarum velaminibus involuta*. Hujus regulae obliviscuntur Pontifices, suumque primatum metaphoricæ locutioni & falsæ expositioni superstruunt, quod causam ipsorum statim suspectam reddit, non secus ac aliarum dictorum interpretationes violentæ, quales passim ad summam potestatem asserendam ab ipsis producuntur. Innocentius III. in decre. Gregor. l. 1. tit. 33. de majoritate c. 6. solitæ vel sollicitæ sic interpretatur dictum Genes. 1, v. 16. *Fecit Deus duo magna luminaria, Majus, id est, Pontificalem auctoritatem, ut præesset diei, id est, Spiritualibus: & minus, hoc est, regalem dignitatem, ut præesset nocti, id est, carnalibus*. Orator Florentinus coram Pio II. sic explicavit Psal. 8, v. 8. & 9. *Tu Deus subiecisti sub pedibus ejus, id est, Papæ; oves, id est, fidelium animas, ad dextram Christi collocandas; Boves, id est, elatos Hebræorum jugo literæ legis adscriptos & inde victimandos; Pecora quoque campi, id est, Ethnicos & iniquos; Volucres cæli, id est, viros beatos, ut adorentur à cunctis, sanctorum catalogo adscribendos; pisces maris, id est, animas defunctorum ex aquis poenalis per indulgentias educendas*. Bellarminus l. 1. de Missa, c. 11. verba Christi, Joh. 4, vers. 23. sic depravat: *Veri adoratores, id est, Christiani, adorabunt, id est, sacrificabunt; in spiritu & veritate, id est, in sacrificio spirituali & vero, quale est missa, non carnali & typico*. Bonifacius VIII. in Extr. Com. l. 1. tit. 8. c. 1. duplicem Papæ potestatem, spirituales & seculares ex illo Luc. 22, v. 38. acutè collegit. Nam dicentibus Apostolis, *Ecce duo gladij hic, in Ecclesia scilicet (ita exponit Pontifex) non respondit Dominus, nimis esse, sed satis*. Et subjungit argumentum hoc subtilius: *Certè qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis, converte gladium tuum in vaginam*. Hic fuit medius terminus, jam sequitur conclusio: *uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis*. Vis aliud argutius argumentum? Audi Papam, eodem loco sic inferentem: *Quicumque igitur huic potestati (Papali nempe) à Deo sic ordinata resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Manichæus) fingat esse principia, quod falsum*

Exempla absurdarum interpretationum Papalium



sum & hereticum judicamus. QVIA (testante Mose) non in principijs, sed in principio cælum Deus creavit & terram. Quis tam profundas expositiones audiens dubitabit amplius, Pontificem optimum esse ac infallibilem Scripturarum interpretem? Sed valeat ille fallarius, nec moveamur, si maximè dictum Christi de Petra Ecclesie ad Petri suumque primatum adstruendum violenter torquere audeat.

LXVI.

2. Quia ipsi Pontificij dissentiant.

2. Ipsi Pontificij circa loci hujus expositionem mirè dissentiant. Anacletus dist. 21. cap. 2. scribit expressè, In Novo Testamento, Verbis illis Petro Pontificatum in Ecclesia Christi datum esse, ibiq; ligandi atq; solvendi potestatem primum accepisse à Domino. At vero glossa dist. 50. cap. Considerandum, asserit, primatum Papalem non posse isto dicto confirmari. Johannes de Turrecremata l. 2. cap. 17. Petrum scribit tunc esse factum Ecclesie Petram, cum ei CHRISTVS diceret: Tu es Petrus, cujus dixisse sit fecisse, juxta Hieronymum. Idem affirmat Thomas in 4. Sentent. distinct. 4. quæst. ult. Bellarminus verò & ex illo Reihing. negat, hic Petro potestatem traditam; tantum promissam esse statuit. Cùm ergo ipsi adhuc ignorent, num Petro hinc potestas sit concessa vel secus; num aliquid sit traditum, an promissum; quis absq; insigni levitate & imprudentiâ Pontificijs ob dictum istud adstipulari, & primatum Petri non nisi dubiæ variæq; expositioni superstructum agnoscere poterit?

LXVII.

3. Quia nunquam Apostoli de primatu dimicassent.

3. Si Petro ibi primatus fuisset planè & perspicuè promissus, Apostoli certè nunquam venissent in disputationem de prominentia, quia quæstionem illam jam antè decisam esse novissent. Si dicas, non intellexisse, probandum hoc erit, cùm Pontificij verba illa velint esse clarissima. Et si maximè non intellexerint omnes, procul dubio tamen sensum percepisset Petrus, quia licèt in alijs rudes sint homines, attamen cùm de primatu agitur attenti sunt, facileq; capiunt, quod dicitur. Et num Apostolis sapientiores putabimus Jesuyitas, qui sensum istum se statim deprehendere gloriantur?

LXVIII.

4. Quia primitiva Ecclesia dictum istud sensu Papistico non intellexit.

4. Ecclesia primitiva dictum istud sensu Papistico minimè intellexit, siquidè tum erat simplicissima forma & politia; non sub-

subjecta erat Ecclesia uni alicui Papæ, non gravata superbien-
tium Cardinalium & Archiepiscoporum multitudine, sed mi-
nisterium paucissimis gradibus terminabatur, Episcopis nimi-
rum, presbyteris & diaconis, ut est apud *Euseb.* lib. 5. c. 1. & *Hie-
ronym.* in epist. ad Evagr. Tum ergo temporis & res & nomen
Pontificis œcumenici fuit ignotum, & qui Ecclesiam Roma-
nam gubernabant, vocabantur Episcopi, non totius orbis, sed
Romanæ urbis; nec potestatem habebant super Ecclesias exte-
ras, sed suam unice curabant, alijs tamen consilium in casibus
dubijs non denegantes, de quo videantur *Magdeburg. Cent.* 2. c.
7. Aut ergo primitiva Ecclesia erravit, aut expositio Papistica ad
minimum suspecta est. Prius asserere cum sit temerarium, poste-
rius merito assumimus,

LXIX.

5. Firmissimis rationibus probari potest, quod Petrus ne-
quaquam sit petra vel fundamentum Ecclesiæ. 1. Christus lo-
quitur de petra perpetua, quæ tamdiu subsistat, quamdiu durat
Ecclesia. At de Petro hoc affirmari nequit. Nec ipse solus est
perpetua petra ratione personæ, quia non amplius vivit, nec Ec-
clesiæ præsens est: non ratione doctrinæ, quoniam hoc sensu om-
nes Apostoli fundamenta sunt: non ratione ministerij, quia &
hoc cum cæteris Apostolis commune habuit, & jamdudum offi-
cium Apostolatus specialiter ita dictum desijt. Si dicant, Petrum
constitui petram ratione regimini & quatenus est Ecclesiæ caput, ridi-
culè nugantur. Talis enim emerget sensus: Petrus constituitur petra,
quatenus est petra Ecclesiæ. 2. Si Petrus petra fuisset Ecclesiæ, protin-
nus illa corruisset, atq; sic portæ inferorum prævaluissent. La-
psum enim est Petrus impingendo in articulum de morte & re-
surrectione Christi, *Matth.* 16, v. 23. & Christum ter abnegando
cum magna execratione, *Matth.* 26, v. 74. Petræ verò officium est,
nō modò stare, sed etiam alios sustentare. 3. Ecclesia fundamen-
to suo per fidem connectitur, quia fide stamus *Rom.* 11, v. 20. Petro
autem nemo Christianorum per fidem conjungitur, quia non
est objectum fidei. 4. Paulus Ecclesias suas sine dubio super-
struxit vero fundamento. Negat verò *Rom.* 15, v. 20. super Petrum
aut Apostolorum quemcunq; se extruxisse. 5. Paulus neminem
reprehendit, convertentem se ad veram petram Ecclesiæ. Repre-
hen-

5. Quia firmis
rationibus po-
test probari,
Petrum nequa-
quam esse pe-
tram Ecclesiæ



hendit autem Corinthios, ad Petrum ut petram se convertentes. 1. Cor. 3, v. 4. 22. Nec enim qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, v. 7. Ergo nec Petrus esse potest petra in fundanda Ecclesia. 6. Lapis unus non est fundamentum Ecclesiae, siquidem in firmissima rupe, non uno lapide fundatur. Apostolus autem Simon à Christo hinc vocatur πέτρος, id est, lapis, non πέτρα vel rupes. Vidit hoc Iansenius, qui part. 1. Conc. Euan. c. 17. scribit, *Petrus latinis idem sonat, quod saxum.* Quam expositionem Cyrillus olim tradidit tom. 1. operum l. 2. c. 12. in Joh, ubi praeponitur, ait, *fuisse hunc discipulum, fore, ut Cephas, id est, lapis esset.* Sic igitur, quia hinc κηφᾶς, Spiritus sanctus exposuit per τὸ πέτρος, non πέτρα, indicare voluit, Simonem à Christo vocari non petram ipsam, sed lapidem in hac petra; sicut omnes Christiani fideles πέτροι quidem sunt, vel lapides, solus autem Christus petra est, ob magnitudinem & vim immotam. Unde Chrysostomus rectè in serm. de Pentec. *Super hanc Petram, non dixit super Petrum. Non enim super hominem, sed super fidem aedificavit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Christus filius Dei vivi.* 7. Papicolæ putant, Antichristum esse personam numero unam, quia in illius descriptione Apostolus 2. Thess. 8. articulis singularibus utatur. Quod si militat, multò magis hinc locum inveniet, ubi dicitur, non modò ἡ τῆ, sed ἡ ταύτη τῆ πέτρα, unde concludimus, singularem & numero unam petram denotari. Cur ergo Pontifices se Petri successores jactitant, suumq; in textu isto primatum latere asserunt?

LXX.

6. Quia solus
Christus est pe-
tra Ecclesiae.

6. Eviçto, quòd Petrus non sit fundamentum, ultrò sequitur, quòd per petram nil nisi Christus vel fides de Christo intelligatur. Hæc enim in quæstione præsentè non differunt, cum minimè ipsa in se ὁμολόγησις, sed τὸ ὁμολογῆμενον, non πίστις, sed τὸ πιστεῖν fundamentum statuatur. Rectè igitur concludit Augustinus de fide & operibus c. 16. *Si Christus fundamentum sit, procul dubio & fides Christi; per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris.* Quòd autem solus Christus Ecclesiae petra sit, probamus 1. quia solus Ecclesiam sustinet, ne superetur à portis inferorum. Non Petrus, non Papa id præstare valet, quia nec se, multò minus Ecclesiam contra inferni portas potest defendere. Lapsus est Petrus ipse:

Er-

Errarunt multi Papæ facti hæretici. 2. quia nomen Petræ in Scriptura soli Christo tribuitur, *Esa. 26. v. 4. c. 28. v. 16. Matth. 7. v. 24. Act. 4. v. 11. Rom. 9. v. 32. 1. Cor. 10. v. 4. 1. Pet. 2. v. 7.* Petrus quidem à petra nomen habet, Petra tamen nunquam dicitur, sed distinctio inter nomen & denominatum semper observatur. 3. quia fundamenti appellatio soli Christo cõpetit, ut unicuiq; alteri disertè denegetur *1. Cor. 3. v. 11.* Nec solvit nodum cõsuetæ distinctiuncula inter fundamentum *invisibile & primarium, qualis sit Christus, & visibile vel vicarium, qualis sit Petrus, omnesq; Apostoli Ephes. 2. v. 20. Apoc. 21. v. 14. non secus atq; Christus est lux mundi, & nihilominus idem nomen Apostolis tribuitur Matth. 5. v. 14.* Nam 1. Fatemur, Petrum posse fundamentum vocari, sed *δεύτερος* ratione fidei & doctrinæ, quo sensu omnes Apostoli fundamenta sunt, & nihil peculiare habet Petrus. 2. Pari ratione Paulus foret Papa & Monarcha Ecclesiæ, quia etiam est fundamentum secundarium, cum multas, imò plures, quàm Petrus fundarit Ecclesias, *1. Cor. 3. v. 10.* Sequeretur 3. quemlibet Christianum super duo ædificandum fundamenta, primò super Petrum, Petrivè successorem Papam, & hoc mediante super Christum, quod impium. 4. Distinctio illa est *ἀντιφατική*. Fundamentum est, quod ædificium sustinet: secundarium autem non sustinet, sed sustinetur; pars est, non fundamentum ædificij. 5. Si Petrus tantum vicarium fuit fundamentum, non successit Christo in Episcopatu visibili, quippe qui fuit primarius & fundamentalis Episcopatus. 6. Si fundamentum primarium Christus, secundarium Petrus est, sequitur, adhuc tertium genus fundamenti constituendum esse, nempe Apostolos, qui nec primarium nec secundarium fundamentum dici possunt, secundum acceptionem Papisticam. 7. *Eph. 2.* non Apostoli, sed ipsorum doctrina vocatur fundamentum. *Apoc. 21.* similiter hoc tantum dicitur, *duodecim Ecclesiæ fundamentis inscripta esse duodecim Apostolorum nomina*, quo nihil aliud significatur, quàm Ecclesiam duodecim Apostolorum ministerio esse collectam. Manet igitur, quòd solus Christus sit Ecclesiæ fundamentum, nec ulli alij hoc nomen propriè conveniat.

LXXI.

7. Accedit consensus Patrum Antiquorum, qui Petram non de Petro, sed Christo fideq; in Christum disertis verbis exposuerunt. Videatur *Origenes p. 2. Operum, in Matt. c. 16. tract. 1. col. 36. edit.*

7. Quia Patres nobis consentiunt.

G

Basil.

Basil. anno 1590. Chrysostomus tom. 2. in Matth. homil. 55. & tom. 3. serm. de Pentec. Cyrillus t. 2. l. 4. de Trin. Col. 289. edit. Bas. anno 1546. Ambrosius t. 5. in c. 2. ad Eph. Augustinus t. 10. serm. 13. de ver. Dom. Adde his glossam vulgarem & ordinariam in c. 16. Matth. ubi hæc verba: *Tu es Petrus, nimirum à me petra: ita tamen, ut mihi ego retineam fundamenti dignitatem. Et rursus, Super hanc Petram, id est, super Christum, in quem credis.*

LXXII.

*Obiectio Papi-
fica.* Et hæcenus genuinæ expositionis argumenta recensuimus: Papi-
picolæ nihil habent, quod urgeant, quàm pronomen quo ipsam
Petrum, cujus proximè fit mentio, notari existimant. Proximè,
(ait Bellarm. l. 1. de R. P. c. 10. ex quo Reihing reperijt) Dominus
Petrum vocaverat petram; Syriacè enim loquitur, & Syriacâ linguâ Pe-
trus dicitur Cephâs, quod petram significat. Dixit ergò Dominus, Tu
es Cepha, & super hoc Cepha: vel Latine: Tu es petra; & super hanc
petram ædificabo Ecclesiam meam. Ex quo sequitur, illud Hanc,
non posse referri nisi ad Petrum, qui eo loco vocatus est Petra.

LXXIII.

Solutio.

Respondemus autem 1. Desperatæ causæ indicium esse, quòd
ad Syriacum exemplar provocant, quia ut Hebraicus textus in Ve-
teri, sic græcus, non Syriacus in N. T. originalis est, non diffiten-
te Bellarmino l. 2. de Verbo DEI c. 4. col. 96. B. Si ergo inspiciatur
textus græcus, mox apparebit, non dici, *Ἐγὼ τὸ πῆτρον*, ut ita
proximum respiciatur, sed *Ἐγὼ τῆς τῆς πέτρας*, ubi masculinum
mutatur in fœmininum, ne videatur, Ecclesiam super hominem
ædificari. 2. Errant, dum nomen *πέτρας* pro appellativo habent, &
hoc sensu exponunt: *Tu es Petra.* Non ita vertit Latinus interpres,
quem sequi tenentur, sed proprium Apostoli nomen posuit, *Tu es
Petrus.* Cùm autem proprium *πέτρας* ab appellativo *πέτρα* lon-
gissimè distet, utiq; pronomen fœmininum hanc, appellativo addi-
tum, non respicit nomen Petri proprium masculinum. 3. Versio Sy-
riaca ipsos nihil juvat, quia & ibi nomen *Cepha* in primo membro
proprium, in secundo appellativum est. Ibi enim apponitur articu-
lus masculini, hîc fœminini generis, ut sit sensus: *Tu es ille, (Cephas)
Petrus, & super hanc (Cephâ) Petram ædificabo Ecclesiam meam.* 4. Prono-
men demonstrativum nō semper dependet à proximè antecedente,
sed sæpè ostendit rem in præcedentibus subintellectam qui-
dem

dem, expressè tamen non positam, ut Joh. 6. v. 49. & 50. *Patres nostri manducaverunt manna & c.* Hic est panis de caelo descendens, ubi demonstrativum non respicit Manna, de quo modò sermo erat, sed Christum, ut ipse explicat v. 51. Sic vulgò dicimus: *Pius est, & propter hanc ipsam pietatem magnificandus*, ubi demonstrativum non ad proximè præcedens adjectivum, sed potius ad subintellectum pietatis substantivum refertur. Par est ratio in locutione Christi Matth. 16. v. 18. cujus hic sensus: *Tu es Petrus, à me Petra denominatus, & super hanc ipsam Petram, à qua tu nomen tuum adeptus es, edificabo Ecclesiam meam*; non secus ac si quis diceret: *Tu es fidelis, & per hanc ipsam fidem intrabis in regnum caelorum*, ubi pronomem Hanc non personam fidelis, sed personæ fidem, sub fidelis vocabulo intellectam respicit. Ita in verbis Christi, *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, idem demonstrativum Hanc non ad Petri personam, sed ad Christum petram, à qua Petrus erat nuncupatus, & quæ Petri vocabulo tacitè innuitur, referri debet. Hanc sensum eruditè & copiosè demonstrat B. noster Lutherus tom. 5. Jenens. germ. l. de Papatu à diabolo fundato, ubi verba Christi sic interpretatur: *Du sagest von aller wegen / ich sey Messias oder Christus des lebendigen Gottes Sohn / wolan / so sage ich dir widerumb / du bist ein Christ / (oder Fels) vnd auff den Christ / (den Felsen) wil ich meine Kirche bawen.* Sicut ergo, si diceretur alicui, qui nomen Christiani in Baptismo adeptus est: *Tu es Christianus, & super hunc ipsum Christum edificata est Ecclesia*; non sequeretur, pronomem demonstrativum respicere personam Christiani, ac si ille sit fundamentum Ecclesiæ, sed potius referretur ad Christum sub Christiani nomine designatum: Ita quoq; se res habet in Propositione Salvatoris: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam.* Nam & ibi demonstrativum non Petri personam respicit, sed Christum petram, sub nomine Petri occultatam. LXXIV.

III. DE DICTO JOHANNIS XXI. v. 17. Censent Papicolæ, Petro & successoribus ejus datam esse omnem potestatem super universam Ecclesiam per verba: *Pasce oves meas*, quæ Gregorius de Valent. T. 3. in Thomam quæst. 1. par. 7. §. 30. col. 246. ita exponit, *Rege oves meas*, quod tamen negat Erasmus, in meth. Theol. sic scribens: *Neq; verò dictum est, Rege aut subige oves, sed pasce.* Tria verò hinc observanda veniunt. 1. *An soli Petro pastura commissa?* 2. *Quid sit pascere?* 3. *Quid per oves intelligatur?*

De dicto Joh. 21. Pasce oves meas.

G 2

75. 1. Lu

An soli Petro
pastura ovium
sit commissa?

LXXV.

I. Lubenter concedimus, à Christo hic solum Petrum compellari, & quidem tribus distinctis vicibus, quod factum non ideò, ac si Petrus solus debuisset curam Ecclesiæ gerere, sed 1. quia solus Christum ter negaverat. 2. ut admoneretur, quòd pascere debeat & corde & ore & opere, juxta Bernardum. 3. ut trinæ negationi trina confessio reddatur, nec minus amor lingua serviat, quàm timori, dicente *Augustino* 1. 9. tract. 123. in Joh. Nihil autem peculiare præ reliquis Apostolis hic Petro commendatur, siquidem & istos cura pascendi pariter attinebat. Si bellicus Imperator ducem, qui se antea timidius gessit, ut porro pugnaret masculè, hortaretur, non ei hoc ipso singulare aliquid mandaret, sed quod omnium ducum militumq; esset: Idem prorsus cum Petro hic actum est, pro ejus demonstratione argumenta duo sufficiant. 1. Petrus 1. *epist.* 5. v. 1. hortatur Presbyteros omnes, ut pascant Ecclesiam. Aut igitur vox Christi, *Pasce*, alios quoque attinget, aut Petrus jus suum temerariè transtulit in alios. 2. Et reliqui Apostoli sunt jussi pascere *Matth.* 28. v. 19. 20. *μαθητεύσατε.* *Ioh.* 20. v. 21. Sicut me misit Pater, & ego mitto vos. *Act.* 20. v. 28. dicitur de Episcopis Ephesinis, quòd sint positi *ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τῆς Ἰερῆ.* Et *Eph.* 4. v. 11. *Dati sunt quidam Pastores.* Neq; verò sequitur: *Christus dixit, Amas me plus cæteris?* Ergo majorem Petro auctoritatem contulit. Prorsus enim ficulnea est hæc consequentia, cum non jubetur Petrus, plus ovium vel plus cæteris pascere, siquidem omnes Apostoli totum mundum pascere debebant, quod singuli summâ curâ & vigilantia expedierunt.

LXXVI.

2. Vocabulum *pascendi* duobus modis accipitur 1. *ἰδίως* vel propriè, quo sensu idem est, quod alere aut cibum ministrare. 2. *μετὰ φρονῆως*, vel figuratè pro curare, prospicere, providere. Et hoc iterum dupliciter. Nam 1. tribuitur *magistratui Politico*, & notat ejus regimen curamq; subjectorum, ut 2. *Sam.* 5. v. 2. *1. Cor.* 7. v. 7. *Apoc.* 19. v. 15. eodemq; sensu *Homerus* Agamemnonem vocavit *ποιμένα λαῶν.* pastorem populi. 2. *Apostolis & ministris Ecclesiæ*, ubi pascere idem est, quod docere, informare, & alias ministerij sacri partes obire, quæ significatio aliquoties inculcatur, *Ezech.* 34. *Act.* 20. v. 28. *Eph.* 4. v. 11. 1. *Pet.* 5. v. 1. 2. ex quibus locis deducimus, quòd pascere Apo-

stolis

Quid notet
verbum pascere?

stolis & præconibus verbi tributum nunquam principatum aut
dominium, sed unicè & semper ministerium significet, ob in-
terdictum primatum à Christo *Luc. 22 v. 25. 26. & Petro 1. epist.*
s. v. 1. 4.

LXXVII.

Jam verò in specie, quòd per *pasturam* Petro commissam nò aliquis
primatus aut Papatus intelligatur, sequentia evincunt. 1. Verbum
istud nullibi hoc sensu accipitur, cum de Apostolis & doctoribus
sermo est: Cur ergo hìc peculiarem significationem obtineat?
2. In græco bis habetur vocabulum βόσκειν, semel ποιμαίνειν, quæ
sensu planè conveniunt, βόσκειν autem pro dominio usurpatum,
nullibi reperitur. 3. Si pascere primatum notat, fiet id vel per se &
ex nativa vocis indole, quod falsum, cum non semper fiat: vel
quia ad Apostolum dicitur, Sic autem tot fuissent Papæ, quot A-
postoli: vel quia in specie Petro tribuitur, quod asserere, est prin-
cipij petitionem committere. 4. Pastura Petri vel est ipse Apostola-
tus, atq; sic nihil peculiare accepit, vel officiù Apostolatu superius,
Atqui tale dari Apostolus *1. Cor. 12. v. 28.* expressè negat. 5. Accedit
consensus Patrum, qui nobis per omnia sunt *ὁμόψυχοι*. Videatur
Origenes tract. 1. in Matth. Cyprianus tract. 3. de simplic. præl. vel u-
nitate Ecclesiæ, Augustinus tom. 3. l. de agone Christi c. 30. & t. 9.
tt. 123. in Joh. & Bernardus serm. 2. de resurrectione, qui omnes in-
nuunt, per pasturam notari quidem omne id, quod ad spiritualem
ovium curam est necessarium, nihil tamen peculiare Petro tribui,
siquidem & hoc erant cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præ-
ditæ & honoris & potestatis, ut Cyprianus l. d. loquitur.

*Per pasturam
Petro commis-
sam non intel-
ligitur prima-
tus.*

LXXVIII.

3. Putant Papicolæ, omnes fideles, adeoq; unà ipsos Apostolos
tanquã oviculas Petro committi, & quidem cum imperio pascēdi,
Si verò maximè intelligeretur rota Ecclesia, nil tamen peculiare
haberet Petrus, cum omnes suas oves, omnesq; gentes omnibus
Apostolis conjunctim pascendas commiserit Christus, *Matth. 28.*
v. 19. Istud verò aperte falsum est, quòd cæteri Apostoli Petro ut
oves fuerint subjecti. Omnes enim pares erant, & à Petro planè
non pendeabant reliqui, nec in doctrina, quia Spiritus Sanctus eos in
omnem veritatem duxit; nec in ministerio, quoniam à Christo sunt

*Quid per oves
intelligatur.*

emissi; nec in modo ministerij, quia Paulus triennio prædicavit ante visum Petrum; nec in clavium potestate, quia à Christo pariter eam acceperunt. Hinc Paulus ait, se nihil minus esse ab ijs, qui sunt supra modum Apostoli, 2. Cor. 12. v. 11. eosq; qui videbantur esse aliquid, sibi nihil contulisse, Gal. 2. v. 6. in quem locum Chrysostomus scripsit, Paulus se ceteris honore PAREM ostendit, nec se reliquis illis, sed IPSI SUMMO (PETRO) comparat, declarans, quod horum unusquisq; parem sortitus sit dignitatem.

LXXIX.

Num Patres Petro primatum tribuerint?

Primatus duplex.

IV. DE PATRUM TESTIMONIIS. Magno numero illa coacervare solent; nec diffitemur, plurima Petri encomia passim reperiri; talis tamen vel primatus vel Papatus, qualem Jesu vitæ intelligunt, nullibi adsignatur. Ad singula respondere jam non fert instituti ratio: Pro generali responsione sequentia notentur. 1. Primatus duplex est, alter ordinis, alter jurisdictionis vel potestatis, quam distinctionem innuit Marsilius Patavinus par. 2. Defen. c. 16. Ordinis primatum vocamus, quando multi in officio & potestate pares sunt, unus tamen eorum primum tenet locum & reliquos præcedit, ut ita inter istos loci vel sessionis ordo servetur. Jurisdictionis primatus est quando unus non tantum locum tenet primum, sed & alios sibi subjectos habet, qui ab ipso dependent, ejusq; judiciis acquiescunt, & sine ipsius arbitrio, voluntate & nutu nihil suscipiunt, aut suscipere debent. De priori specie primatus, quam nos minimè negamus, sancti Patres sæpissimè loquuntur, sed Pontificij semper posteriorem intelligunt, adeoq; malà fide Patres allegant. 2. Cùm Petrus petra & fundamentum Ecclesie dicitur, adversarij successionem Romanorum Pontificum simul comprehendunt. Patres autem solum Petrum sine societate & successione Paparum, petram appellant. 3. Et cùm Petri cathedram dicunt, nisi Petri fidem & doctrinam intelligunt, non secus ac Pharisei dicuntur sedisse in Mosis cathedra, dum illa præscriberent, quæ Moses tradidit, Matth. 23. v. 2. sic cathedra Petri apud nos est, quia in omnibus Petri fidem & doctrinam sequimur. 4. Plurima elogia tribuuntur Petro, non ratione personæ, multò minus successorum, sed partim respectu vere fidei, quæ fundamentum Ecclesie est, & à Petro constanter propagata; partim respectu prioritati inter Apostolos, quæ tamen non in jurisdictione Papali, sed in solo Senioratu

nioratu & loci ordinisq; primatu posita fuit, partim respectu nominis
Cepha, quò multi alluserunt, unde tamen minimè concludendum,
quòd ille solus fuerit petra. Nam & filij Zebedæi soli *Thes-*
nergæ, id est, *fulminatores* dicti sunt, nec tamen soli erant: ita
Petrus eisdem quidem à petra nominatus est, non tamen so-
lus petra exitit, sed unà cum reliquis Apostolis, ita quidem,
ut Petro solo nominato cæteri non excludantur, sed sub primi &
senioris Apostoli nomine simul intelligantur. 5. Vocabulum
principis, quod frequens est in scriptis Patrum, dominatum
Monarchicum non arguit. *Matth 2. v. 4.* dicitur congregasse He-
rodes πάντας τῶν δεξιερῶν, omnes principes sacerdotum, hoc est, præ-
cipuos & maximè excellentes. *Exod. 6. v. 14.* principes familiarum
vocantur, qui primi fuerunt cujusque familia, qui tamen in reli-
quos nullam jurisdictionem habuerunt. Sic apud Latinos princeps
dicitur, qui locum primum habet, & existimatione magnus est,
quamvis imperium non obtineat. Ita & Petrus à Patribus princeps
indigitatur, non ob potestatem Monarchicam, sed propter con-
stantiam, Zelum & virtutes alias. Nec minus Paulo idem nomen
attributum est, quippe de quo *Gregorius* scribit in *1. Reg. l. 4. c. 4.*
Paulus obtinuit totius Ecclesie principatum.

Fundamentum quintum.

PONTIFICUM ROMANORUM SUCCESSIO.

LXXX.

Hoc illud telum est, quod Papicolæ nullibi non jactant,
à nostris verò semper masculè repulsum est. Syllogismo autem
rati includimus: *In qua Ecclesia datur successio Pon-*
tificum, à Petro inchoata, & per tot secula conti-
nuata, ea non potest non vera esse & Apostolica.
Sed in Ecclesia Romana, non Lutherana, datur
successio Pontificum, à Petro inchoata, & per tot
secula continuata. Ergo Romana Ecclesia non po-
test non vera esse & Apostolica.

81. RESPON-

RESPONDEO AD MAIOREM. In illa cum primis later
 nervus argumenti, sed aliter non corroboratur à Jesuwita, quàm
 quibusdam Patrum hinc inde corrasis testimoniis, quæ singula ex-
 cutere non putamus operæ pretium. Fecêre jam dudum alij, quos
 inter *Whitakerus* de Ecclesia quæst. 5. c. 6. Nos in genere dicimus,
 1. Patres non urfisse successionem nudam, sed *cum vera doctrina*
conjunctam, adeoq; non tam intellexisse successionem loci, quàm fi-
 dei. Quibus si consentiant Papicolæ, ex Scriptura singulos demon-
 strent articulos, priusquàm de successione cathedræ & persona-
 rum temerè gloriantur. 2. Patres quandoq; successionem localem
 urgent, non tam in pugna & bello, quàm *post pugnam & victoriam*,
 solis Scripturæ armis partam, velut in triumpho; atque sic non ut
 argumentum Apodicticum, sed Topicum: quod tempore primi-
 tivæ Ecclesiæ valebat in primis, quia tunc per Antichristum pressa
 & corrupta nondum erat. 3. Quòd autem in specie ad seriem E-
 piscoporum in Ecclesia Romana provocârunt, non factum id est
 ob aliquem primatum, sed quia primis seculis Ecclesia illa erat o-
 mnium notissima & celeberrima, ob urbis dignitatem, imperij
 sedem, jactatam Petri & Pauli præsentiam, Martyriorum frequen-
 tiam, & primorum Episcoporum in ea urbe virtutem & con-
 stantiam.

Patres non ur-
 ferunt succeſsi-
 onem nudam.

Atque hîc quidem possemus pedem figere, cùm nullæ pro-
 bationes aliæ afferantur: Ut tamen eò magis constringatur adver-
 sarius, placet nonnulla *ad majorem* responsionis loco addere. 1. No-
 tetur *dissensio Jesuvvica*. Contendit *Reihing*, successionem esse in-
 dicem & notam, plurimum moventem ad sequendam Ecclesiam.
 Contra *Bellarminus* statuit, *tantum negativè*, non autem affirmati-
 vè concludi posse ex successione. Ita enim l. 4. de Ecclesia c. 8. scri-
 bit: Dico argumentum à successione legitima adferri à nobis præcipuè ad pro-
 bandum, Non esse Ecclesiam, ubi non est hæc successio, quod quidem evidens
 est, ex quo tamen NON colligitur NECESSARIO, ibi esse Ecclesiam,
 ubi est successio.

Jesuvvita in
 argumento de
 successione
 dissentiunt.

II. Successio duplex est: Altera personas vel officium, altera do-
 ctrinam attinet. Illa externa; hæc interna; illa principalis, hæc se-
 cundaria

Duplex suc-
 cessio.

cundaria est: ad illam igitur primò respici debet. Nec enim potest successor Apostolorum dici, qui doctrinam eorum non sequitur. Et velut Apostoli Prophetarum successores erant, non quòd immediatè in loco succederent, sed quia fidem Propheticam profitebantur: sic Apostolici successores sunt, qui cum Apostolis idem docent & sentiunt. Prius ergo successionem doctrinæ ex sacris literis evincant, post de externa etiam successione disputare possunt.

LXXXIV.

III. Localis vel personalis successio non est vera veræ Ecclesiæ nota. 1. *Quia communis est, & nonnunquam Synagoga hæreticæ convenit.* Pharisei ab Aarone poterant numerare longam Pontificum seriem, & dicebantur sedere in cathedra Moysis, Matth. 23. v. 2. fures tamen erant & latrones Ioh. 10. v. 8. Ratio, quia succedebant in loco tantum, non in fide. Apostolis & viris Apostolicis succedere in officio lupi, ut prædictum, Act. 20. v. 29. 30. qui ob loci successionem nudam pro veris doctoribus haberi minimè possunt. Ecclesia græca, præsertim Constantinopolitana, longo tractu enumerat suos Patriarchas, quos Nicephorus 1. 8. Chron. c. 6. continuâ serie ab Andrea Apostolo deducit. Num illam ob hoc tanquam veram unicè sequi & audire convenit? 2. *Quia non est perpetua, sed sæpius interruptitur.* Factum hoc in V. T. sub captivitate Babylonica, ubi nullum extitit publicum ministerium per integros septuaginta annos, ideoq; solutâ captivitate cultus tam difficulter restitutus est, ut ex Esdra & Nehemia patet. Sic in N. Test. tempore persecutionum veri Episcopi loco pulsati sunt, ubi Ecclesia quæ ad maximam partem in cavernis delituit, & publico ministerio destituta fuit. 3. *Quia non semper est conspicua.* Cum enim Ecclesia premitur, ipsum simul ministerium occultatur. At verò pressura Ecclesiæ, ob quam in desertam sit concessura, & omni claritate privanda, aliquoties prædicta est Apoc. 12. v. 6. 13. v. 3. 7. c. 14. v. 8. c. 17. v. 2. 15. c. 18. v. 3. 2. Thes. 2. v. 3. Dan. 11. v. 36. 1. Tim. 4. v. 1. quæ omnia tantam Ecclesiæ obscuritatem innunt, ut ministerium purum, si quod adhuc supersit, nequaquam possit conspici. Impleta verò sunt isthæc varicimia temporibus ingruentis Antichristiani-
sini, ubi publicum ministerium erat corruptum, multi tamen præcones delitescerant, qui potius de articulis fidei, quàm Papa & a Ecclesiæ sentiebant.

Localis successio non est veræ Ec-
clesiæ nota.

H

85. IV. Suc-

Successio mini-
sterij duci po-
test per mini-
stros doctrinā
corruptos.

LXXXV.

IV. Successio ministerij vel officij duci potest per ministros doctrinā corru-
ptos. Substantiæ enim ministerij nihil decedit, licet officij admi-
nistratio sit illegitima. Multa hic allegari possent exempla, suffici-
ant pauca, 1. Aaronis, qui in sacerdotē electus Ex. 28. v. 1. defecit idola-
triā c. 32. v. 4. quo tēpore in Israēle vel fuit ministerium verū, atq;
sic probavimus thesin; vel non fuit, atq; sicrupta statueretur suc-
cessio. 2. Pseudoprophetarum tempore Eliæ, 1. Reg. 18. v. 22. c. 19. v. 10. & ali-
orum Prophetarum, quō spectant querelæ Esa. 56. v. 10. c. 59. v. 4. Jerem.
2. v. 8. 27. c. 5. v. 31. c. 6. v. 13. c. 8. v. 9. c. 10. v. 21. c. 12. v. 10. c. 23. v. 14. Ezech. 13. v.
3. c. 22. v. 25. 26. Osea 4. v. 6. Soph. 3. v. 4. Mala. 1. v. 6. c. 2. v. 8. Impu-
rum prorsus tum temporis fuit ministerium quoad doctrinam,
& tamen verum, quoad substantiam, nec quicquam inde
successioni locali detrahebatur. 3. Caipha, qui fuit corruptissimus,
in vero tamen & ordinario Pontificatu constitutus, adeo ut Ioha-
n. v. 49. tanquam Pontifex etiam prophetasse dicatur. 4. Phariseo-
rum & Scribarum, qui ordinario docendi munere in Judæa potic-
bantur, Matth. 23. v. 2. in officio tamen perversi, in doctrina erant
corruptissimi. Iohan. 5. v. 45. c. 10. v. 8. 33. Matth. 15. v. 3. 6. 9. c. 16. v. 6.
11. 12. c. 23. v. 13. 23. c. 26. v. 56. Ex quibus exemplis nos concludimus,
ministerij substantiam simili ratione per Sacerdotes Pontificios
doctrina moribusq; corruptos ad nos dimanasse, non secus atque
per nequissimos veteris Ecclesiæ doctores ad Zachariam Baptistæ
Patrem ab Aarone inde propagatum transijt.

LXXXVI.

Ex quibus omnibus colligitur, quā ficulneum sit argumen-
tum à successione petitum, modoq; Papali propositum, quod at-
tendentes Sancti Patres non tam ad locum & personas, quā ad
doctrinam respici voluerunt. Nazianzenus pulchrè ait orat. de
Iaudibus Athanasij: Qui eandem fidem profitetur, ejusdem quoq; thro-
ni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius
in throno quoq; censerì debet. Atq; hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam
& veritatem habet successioni. Hieronymus, referente Grat. dist. 40.
cap. Non facile, ita scribit: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca
sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Ambrosius l. 1. de pœnit. c.
6. ait: Non habent hereditatem Petri, qui fidem Petri non habent. Et i-
psum jus Canonicum à locali successione firmum argumentum
duci non posse subinnuit dist. 40. c. Multi, ubi hæc verba: Multis

Sacer-

Sacerdotes & pauci Sacerdotes. Multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quomodo sedeat is super cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed sacerdos cathedram.
LXXXVII.

RESPONDEO AD MINOREM. Non diffitemur, bene longam Pontificum seriem numerari, quod autem illa sit vera & Apostolica successio, *ἄποστόλιως* negamus. 1. Quia Pontifices fidem Apostolorum non tenent. Peregrina enim dogmata in Scripturis non fundata, ut de sacrificio missæ, sanctorum invocatione, purgatorio &c. profitentur: Apostolicos libros negligunt & *ἐπιπέλα ματα ἀνθερώπων* sequuntur, adeoq; succedunt quidem in loco, non in doctrina, quod si negatum eant, de singulis articulis nobiscum prius ex Scriptura disputent, quam illam successione prerogativam sibi thraſonicè & impudenter arrogent.

Successio Pontificum non est Apostolica.
1. Quia fides Apostolorum non tenent.

LXXXVIII.

2. Quia Pontificatus sui originem Apostolicam demonstrare nequeunt. Super enim ostendimus, nullum Petro regiminis primatum præ reliquis Apostolis concessum esse. Et si maximè talem habuisset, num ob id Romani Episcopi pro capite & fundamento Ecclesiæ agnoscendi erunt? Contradictio in adjecto committitur, ita si statuatur. Nam fundamentum esse, est primum esse vel ex primis Ecclesiæ fundatoribus. Qui autem succedunt Pontifices, non ex primis sunt, sed primos sequuntur: Capita ergo & fundamenta dici nequeunt. Atq; sic probandum adhuc erit, uni Petro in Ecclesia regenda & plantanda successorem dandū fuisse. Verum & hoc posito, nihil obrinebunt Pontifices Romani. Cur n. ad illos solos transijt successio in primatu? Antiocheni Episcopi jus hoc sibi potius arrogare potuissent, quoniã illam primam Ecclesiam Petrus gubernavit, adeoq; cæteri post Petrum Episcopi Antiocheni, successores Petri fuerunt. Si dicant, Petrum postea sedem suam transtulisse Romam, ibiq; per viginti quinque annos presedisse, & Romanæ cathedræ successionem fundasse; nil nisi principium petunt turpissimè. Si n. maximè fuisset Romæ, de quo non adeo altercabimur, in æternum tamen probari nequit, quod de Episcopatu Petri tam diuturno asserunt. In contrarium militat. 1. Dissensio historicorum. 2. Scripturæ silentium, 3. Petri præteritio in epistola ad Romanos. 4. Petri absentia, cum Paulus Romæ captivus detineretur, & multa alia, quæ recensere singula, nostri non est instituti.

2. Quia Pontificatus sui originem Apostolicam demonstrare nequeunt.

Jesu vita quod opponat nihil habet, nisi unius & alterius scri-
ptoris testimonium pag. III. 112. quibus in contrarium opponi pos-
sunt multo plura jamdudum à nostris enumerata. Tandem si ma-
ximè primi Episcopi Romani successores Petri quodammodo di-
cantur, hic tamen titulus modernis tribui nequit, eò quòd à fide
Petri declinârint, adeoque facti sint *ἀντιθεγοροι*, quia sunt *ἀντιδοξοι*.
Non ergo à Petro Pontifices, quam ædificio ruderæ, luci tene-
bræ, sanitati pestis, corpori cadaver, vino feces, igni cineres suc-
cedunt. Nec n. vel in doctrinæ puritate, vel in vitæ sanctitate, vel
in ministerij humilitate, vel in Apostolatus dignitate conveniunt.

LXXXIX.

3. Quia dubia
& incerta est
successio

3. Quia dubia & incerta est successio. Primos enim Pontifices Platina
& Nauclerus sic numerant. 1. Petrus. 2. Linus. 3. Cletus. 4. Clemens.
5. Anacletus. Eusebius & Hieronymus aliter. 1. Petrus. 2. Linus. 3. Ana-
cletus. 4. Clemens, ubi Cletus planè omittitur. Damasus & Maria-
nus Scotus hoc modo. 1. Petrus. 2. Clemens. 3. Anacletus. Onuphrius
ita 1. Petrus. 2. Linus. 3. Clemens. 4. Cletus. 5. Anacletus. Hanc
supputationem Onuphrij Colsterus, Platina Bellarminus & Reihing.
retinent, qui dissidium istud sic componunt: Petrum imminente
morte fecisse Clementem Episcopum, & ei sedem episcopalem commississe. Cle-
mentem verò Petro mortuo noluisse Pontificatum suscipere ex modestia, quam-
diu Linus & Cletus vixerunt, quoniam hi adjutores Petri fuisse dicuntur.
Ita ergo ex Petri designatione Clementem, ex Clementis modestia Linum &
& Cletum primos post Petrum fuisse Romanos Episcopos, Reihing. p. 113.
Respon. Si Petrus Clementi sedem reliquit, cur eam non accepit?
Nec enim humilitatis est manus impositum subterfugere, sed ne-
gligentia. Et cur non vivo Petro recusavit? Aut si Lino dignior,
cur Petrus hunc non elegit? Quin quòd & ipse Clemens Petrico
adjutor fuit, ut alij plures. Vel num absq; ratione putabimus, Linum
& Cletumq; alio modo fuisse coadjutores? 2. Petrus ipse apud Cle-
mentem sic loquitur, Clemens post mortem Lini secundus à me Petro or-
dinatus est. Qui ergo Linus inter Petrum & Clementem Ponti-
fex fuit, si vivo adhuc Petro mortuus? Etsi Linus Romanæ Ec-
clesiæ fuit Episcopus vivente Petro, utiq; vel Petrus non fuit Pon-
tifex, vel uno tempore duo sederunt Pontifices, 3. Leo II. Pa-
pa, (uti legitur tom. 1. Concil. referente Osiandro. Cent. 1. l. 3. c. 21.)
de

de Clemente hæc verba scripsit: Si Petrus Princeps Apostolorum adju-
tores sibi accivit Linum & Cletum, non tamen Pontificiam potestatem, aut
solvendi vel ligandi normam eis tradidit; sed Clementi successori suo, qui
sedem Apostolicam post eum, & potestatem Pontificalem, tradente sibi B.
Petro Apostolo tenere promeruit. Quales igitur fuerunt Linus & Cle-
rus Pontifices, si potestatem Pontificalem non acceperunt? 4.
Clemens ad Pontificatum vel ineptus fuit, vel idoneus. Si illud,
peccavit Petrus, eum constituendo Pontificem: si hoc, peccavit
Clemens, recusando: imò ipsa peccavit Romana Ecclesia cum
Lino & Clero, quòd neglectâ ordinatione Petri, Clementem in
Pontificatu non confirmarunt. 5. Istam conciliationem nullam esse
vidit Bartholomæus Garanza, qui in summa Conciliorum p. 13. Pari-
siis edita anno 1564. necesse habuit scribere: *In re tam perplexa Le-
ctoris arbitrio iudicium permitto.*

XC.

4. Quia sæpius interrupta fuit Pontificum successio. Contigit hoc mul-
titariam. 1. Quoties plures fuerunt Papæ & AntiPapæ, qui de Prima
tu concertarunt. 2. Quando sedes Romana per aliquot annos va-
cavit. 3. Quando mulier sexum mentita virilem, Pontificatum ade-
pta est, id quod nos minime confinximus, sed à Papisticis Scripro-
ribus accepimus. Quæ contrà proferuntur p. 113. ea cum sint hi-
storica, fusè persequi non licet. Videatur illorum solutio apud
Deckherum l. de Papa Romano & Papissa Romana, Heidelbergæ an-
no 1512. impresso. 4. Quia multi Pontifices fuerunt schismatici &
manifesti hæretici. Multos Papas, ait Lyra in c. 10. Matth. inventos
fuisse Apostatas, Scribit autem Bellarminus l. 4. de Ecclesia c. 8. quòd
Ecclesiæ græcæ Patriarchales habuerint per longa tempora mani-
festos hæreticos, & proinde interrupta sit veterum Pastorum suc-
cessio. Idem nos affirmamus, & probare possumus de Romanis
Pontificibus, ideoq; expirat Reihingij exceptio, quam proponit p.
115. 116.

XCI.

Sub finem fundamenti quinti subjungit nonnullas ratiuncu-
culas, quibus Papam ab Antichristianismi crimine liberare con-
tendit, quæ cum plenissimè refutatae sint à D. D. Heilbrunero in
volumine Catholico, à VWhitakero, Sibrando, Sutlivo & Povello; silen-
tio potius involvam, quàm ut actum toties agam, & præter mo-
rem nimis excreseat positionum numerus.

H 3

Funda-

Fundamentum Sextum.
CONCILIORUM AUTHORITY.
XCII.

Argumentum inde petatum sic formari potest: *In qua religione Conciliorum viget auctoritas, & cui illa favent, hac merito suscipienda est. Sed in religione Papistica, non Lutherana, Conciliorum viget auctoritas, & Papistica, non Lutherana favent. Ergo religio Papistica, non Lutherana, suscipienda est.*

XCIII.

*Concilia quid
sint*

*Conciliarum
Utilitas.*

Auctoritas.

RESPONDEO AD MAIOREM. Concilia, à calando vel con-
calando dicta, sunt conventus publici, vel à magistratu politico,
vel de communi Ecclesiarum consensu indicti, in quo pastores a-
lijq; viri pij & eruditi, ritè vocati, causas Ecclesiasticas cogno-
scunt, & communibus suffragijs, ex verbo DEI, pro potestate di-
vinitus concessa definiunt, quid in rebus fidei verum, quidvé a-
dulterinum sit, & quomodo mala per hæreses prognata vel caveri
vel curari debeant. Talium Conciliorum magna est utilitas, non
tamen absoluta necessitas: auctoritatem habent insignem, sed ad
verbum DEI adstrictam & limitatam. *Utilia sunt 1. ad veræ fidei
confirmationem & propagationem. 2. ad errorum repressionem,
3. ad disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem. 4. ad ceremoniarum
constitutionem. 5. ad unitatis & veræ pacis conservationem.*
Nec tamè absolute sunt necessaria, ac si absq; ijs fides vera cogno-
sci, & hæresis damnari nequeat. Scriptura enim sufficiens fidei
norma est, & infallibilis iudex omnium controversiarum, per quam
solam in primitiva Ecclesia sine conventuum coactione quàm-
plurimæ hæreses sunt damnatæ & proscripæ, uti primorum trium
seculorum historia testatur. Pari modo *auctoritas Conciliarum ma-
xima est, sed quando ex Scriptura definiunt.* Nec enim creden-
dum est hominibus, sed Deo: & in rebus fidei nil valet multitu-
do dicentium, sed audienda est Scriptura, contra quam si quid de-
finiunt Concilia, ad assentiendum neminem obstringere possunt.

Sunt

Sunt autem antiqua Concilia diversi generis: *Quaedam dicuntur
diversa vel universalia, ubi totius orbis præcipui convenerunt
Episcopi, ex quibus quatuor imprimis sunt illustria, Nicenum, Con-* *Distinctio*
stantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense: quedam perniciosa
vel Particularia, ubi certarum & particularium Ecclesiarum le-
gati confociantur. Illæ fideles omnes obligant, hæc Ecclesijs alijs
præjudicare nihil queunt. Illa lubenter amplectimur quoad sub-
stantiam dogmatum, quamvis ratione politæ Ecclesiasticæ suis
nævīs non careant: hæc autem, præsertim Romana, in totum ad-
probare non possumus, cum plurimos errores invexerint.

XCIV.

Quibus ita præsuppositis, majorem limitamus tripliciter.
1. *Si ad verbum DEI adstricta intelligatur autoritas, concedi-*
mus: si summa & independens, negamus. 2. *Si quatuor œcumenica*
Concilia subintuuntur, major vera est; sin particularia, præsertim
Romana: falsa est. 3. *Quæ dogmata à Concilijs quatuor œcume-*
nicis definita sunt, procul dubio veritati consonant, hinc tamen
minimè sequitur, Omnem & totam illam religionem esse sine-
ram, quæ Canones illos recipit. Nec enim de omnibus articulis in
istis Synodis disputatum fuit; & sequeretur inde, tres istas pugnan-
tes religiones, Lutheranam, Papisticam, Calvinianam, pariter
veras esse, quia nulla earum rejicit symbola in Concilijs istis com-
posita. Major proinde universalis non erit, ideoque à Concilijs
ad Scripturas redeundam est, si plenam & sufficientem fidei nor-
mam habere voluerimus.

XCV.

RESPONDEO AD MINOREM. Tria hic dicenda sunt.
1. *Num Concilia penitus à nobis rejiciantur?* 2. *Quid Papicolæ ijs*
tribuant? 3. *Num religioni Romanæ, an nobis faveant?* Hæc e-
nim omnia coniunxit Jesu vita, & in iis deducendis laboriosè oc-
cupatur: nos brevitatis & instituti memores, præcipua saltem
capita paucis attingemus.

XCVI.

1. *Nostra sententia hæc est; Concilia legitima minimè repu-*
diamus, ijs tamen ut normæ fidei simpliciter non credimus, *Nostra de Con-*
sed, quatenus ex Scripturis suos Canones confirmant, Hoc cilijs sententia
enim nisi fiat, licet, imò decet à Concilij sententiâ discedere, quia
Deo

Deo magis est obediendum, quam hominibus, quod & ipsum fecit Paphnutius in Concilio Niceno, & adprobat Hieronymus in Epist. ad Gal. ita scribens: *Spiritus sancti doctrina est, quae Canonicis literis prodita est, contra quam si quid statuunt Concilia, nefas duco.* Et consentit Panormitanus, de Elect. cap. significasti, ubi disputat, *Plus esse credendum simplici Laico Scripturam proferenti, quam toti simul Concilio, eâ destituto.*

XCVII.

Objectiones
Jesuiticæ.

Adversus hanc simplicem veritatem tria nobis objicit Jesuvvita. 1. *Quod ad Concilium provocaverimus, post autem omnium, etiam Generalium Conciliorum auctoritatem rejecerimus,* pag. 126. & seqq. Respond. 1. Provocavimus, non ac si Scriptura vel nimis esset perplexa, vel minus sufficiens, sed ut publicè nostrum cum Scripturis consensum faceremus notum, omnibusque pijs probaremus. 2. Si Lutherus ex inveterato errore plus justo Concilijs primo tempore tribuit, sequenti correxit. 3. Canones generalium quatuor Conciliorum vel spectant substantiam fidei, hæreticis oppositæ: vel disciplinam Ecclesie, & quasdam humanas constitutiones. Priores sanctè recipimus, posteriores non possumus ob contrariam Scripturæ ordinationem & alia incommoda. Respectu ergo Canonum pragmaticorum, non dogmaticorum intelligenda sunt duriora Nostratum dicta 4. Quando Lutherus loquitur animosius adversus Concilia, pio id zelo facit, nempe ut Scripturæ asseratur & illæsa persistat auctoritas. Nec enim illi debent præferri Concilia, ideoque si quid dissonum concluderint, eâ facilitate queunt rejici, quâ urgentur. Nec aliud hîc fecit Lutherus, quam Augustinus, cui cum objiceretur Ariminense Concilium à Maximino Arriano, ejus auctoritate se non teneri professus est, sicut nec Maximinus Niceni, ideoque ad Scripturam solam confugiendum esse innuit, l. 3. cont. Maxim. c. 14. Hic unicus Lutheri scopus, hoc consilium fuit, certè pientissimum. Latius si quis extendat verba, Luthero injuram facit. 1. Pontifex multò minus tribuit Concilijs, quia se super illa esse, & contra illa definire posse jactitat dist. 17 c. 6. Concilia. Causâ 9. q. 3. c. 17. Cuncta. Decret. Greg. l. 1. tit. 6. de Elect. c. 4. significasti. Hinc Calixtus Papa statuit, omninò esse necessarium, ut quoniam Dei filius venit, ut faciat

volun-

voluntatem Patris sui, ita omnes Episcopi etiam in concilio congregati impleant voluntatem Ecclesie Romanæ *dist. 13. cap. 1. Non decet.* Et multa proferri possunt exempla decretorum Papalium, antiquis Conciliorum Canonibus contradicentium. *Pugna Conciliorum.* Contra *Nicenum I.* indictus est coelibatus ministris Ecclesie. Contra idem, ut & contra *Constantinopolitanum II.* sancitum est *Caus. 9. q. 3. c. 16.* Ipsi sunt, & *c. 17. cuncta*, ut totius Ecclesie appellationes ad Romanæ sedis examen deferantur. Contra *Africanum & Carthaginense Concilium* vocant se Episcopi Romani non primæ sedis Episcopos, sed principes sacerdotum & summos sacerdotes. Contra *Concilium Milevitanum* statuunt, perfectè posse impleri legem, neq; sanctos habere peccata. Contra *Concilium Gangrense* definiunt *Caus. 2. q. 2. c. 2.* Puella, non subjacere liberis potestati parentum, si vota monastica suscipere voluerint. Ex his judicent cordati, quinam plus Concilijs tribuant. Nos ad solam illam Scripturam alligamus, Pontifex verò ad sui capitis sensum, ita quidem, ut si maximè verum defendant Episcopi congregati, illud tamen, si contra Papam sit, vi juramenti præstiti, in Canones referri non debeat. Quid ergo mirum, si ex justa indignatione severius in hujusmodi Conciliabula Lutherus animadvertit?

XCIIX.

2. *Quòd Concilij Tridentini decretis stare arroganter recusemus.* Resp. Non temerè id facimus, sed justis de causis, quas peculiari libro exposuerunt *Principes*, & post *concionatores aliquot*, anno 1563. Bre- *Concilium Tridentinum fuit illegitimum.* viter, illegitimum fuit ratione. 1. *Convocantis*, qui debet esse Imperator, non Pontifex. 2. *Præsidentis*, cujus partes tenuerunt tres Cardinales, Papæ obstricti. 3. *Normæ*, quæ non fuit Scriptura, sed traditiones Ecclesie Romanæ, & vox Pontificis. 4. *Judicantium*, quia soli Episcopi & nonnulli Abbates convocati, quibus tamen verum dicere contra Papam non fuit liberum. 5. *Loci*, quia non in Germania, sed Tridenti, in angulo Italiae celebratum est. 6. *Processus & modi*, qui planè discrepat à veteri Synodorum more, quæ omnia fusè probavi in *AntiLestio* à pag 338. usque ad pag. 343.

3. Quod concionatores quidam in proestatione quadam contra Tridentinum concilium, simulq; Flacius perverse allegarint Hosium tribuendo ipsi, quod narravit de Schvvenckfeldio p. 132. 133 R. Librum istorum concionatorum nancisci haut potui: In Flacio tale nihil inveni. Meminit quidem Hosij in fine tractatus de norma & praxi Concilij par. 2. Clavis. p. 440. sed verba, quæ citat Jesuvvita, non leguntur ibi, ut hinc clarum sit, ipsum nequaquam aspexisse Flacium. Rem ipsam quod attinet, conspirat Schvvenckfeldius & Hosius in contemptu Scripturæ, dum ille privatas revelationes, hic privatas Pontificis interpretationes longissimè præfert; & sicut Scriptura in se Schvvenckfeldio est *egenum elementum*; ita & Hosio, si non trahatur ad sensum Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificis. Si ergo maximè Schvvenckfeldio id tribuerit Hosius, cum ipso tamen pariter spernit Scripturam, & ferè minus illi tribuit, quod patet ex ipsius aphorismis de Scriptura, à Flacio enumeratis par. 2. clavis p. 425. C.

Pontificij Concilij respectu
Scripturæ plus
a quo tribuunt.

II. Pontificios quod attinet, illi Concilij & plus & minus quàm decet, tribuunt. Plus Scripturæ, Minus Pontificis respectu. Gregorius fatetur dist. 15. cap. 2. sicut, *Se, ut sancti Evangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari.* Gratianus censet dist. 19. cap. 6. in canonicis, *Epistolas sedis Apostolicæ, per quas decretales procul dubio intelligit, numerari debere inter Scripturas Canonicas.* Et dist. 20. statuit *Conciliorum Canones ejusdem esse authoritatis cum epistolis decretalibus, unde sequitur, eandem Concilij authoritatem inesse, quæ sacris literis tribuitur.* Imò plus valent Concilia juxta Pontificios, quàm Scripturæ, siquidem harum sensum & interpretationem veram ab illis dependere asserunt. Nec enim Scripturas ex ipsis Scripturis & earundem analogia, sed ex Pontificis authoritate, à qua sola hodie pendent Episcoporum in Concilij congregatorum suffragia, interpretantur, quo ipso Concilij plus, quàm Scripturis adsignatur. Unde verò summam istam Synodorum authoritatem probabunt? Uti nullum Ecclesiæ membrum est ἀναμάρτητον: ita nec Patres in Concilij congregati. Ut errare possunt singuli, sic Universi. Nec enim qui separati erroribus sunt obnoxij, mox ubi coierint, sapientiæ & veritatis Spiritu indu-

duuntur. Cur ergo scripsit *Bozius*, Concilia repræsentare ipsum Deum, l. 5. de signis Ecclesiæ c. 7. Cur *Bellarminus*, errare illa non posse, nec in fide, nec in moribus l. 2. de Cont. c. 4. At verò contrarium loquuntur acta Conciliorum. *Nicenum* œcumenicum non carebat errore dogmatum, ut est in *Trip.* l. 2. c. 14. cui unus se opposuit *Paphnutius*. Ipse *Bellarminus* Constantinopolitanum & Chalcedonense censoriâ virgâ flagellat; illud quidem ob antepositum Episcopum Constantinopolitanum reliquis Patriarchis orientis: istud autem ob eundem Romano æquatum, præfat. in libr. de Pont. R. Nunquid non insigne est ἀμάσθητα Concilij Ephesini II. in quo etsi supra trecentos Episcopos essent collecti, Eutylichianismus tamen recipiebatur? Quis nescit Concilij *Carthaginensis* sub Cypriano celebrati errorem, quòd statuerit, baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos? *Ariminense* suscepit *Arij* blasphemiam, *Chalcedonense* clericos conjugio interdixit, *Laodicenum* διακίαια improbavit, *Carthaginense* V. intercessionem & Missam pro defunctis invexit, *Lateranense* transsubstantiationem stabilivit, *Constantiense* ποτηροκλοπήν admisit. Quoties insuper Concilia sibiipsis fuerunt contraria, dum ab altero abrogatum, quod à priori sancitum fuit. Exempla benè multa recitat *Stephanus Szegedinus* in speculo Pontificum pag. 37. seqq.

C I.

Uti verò plus justo respectu Scripturæ, sic minus respectu Pontificis tribuunt Concilijs. Putant enim Papam esse supra Concilia, licet in *Constantiensi* decretum sit contrarium. Scribunt apertè, quòd Papam nullus mortalium judicare possit, *Caus. 9. quest. 3. cap. Nemo & Aliorum Dist. 40. cap. Si Papa.* quòd contra Apostolum dispenset *Gloss. dist. 34. cap. lector in verbo fiat, & dist. 82. capit. presbyter.* quòd cœleste arbitrium habeat, & rerum naturam immutare possit, *Gloss. l. 1. Decret. Gregorij tit. 7. cap. Quinto in verb. veri Dei vicem.* quòd sit super Concilia, & contra illa definire queat *dist. 17. c. 6. Concilia;* quâ ipsâ & potestate raptâ non raro est usus, velut exempla th. 97. enumerata luculentum faciunt. Hoc autem est enervare legitimam Conciliorum auctoritatem, dum unius hominis iudicio subduntur, & ipsorum canones, licet veritatem dicant, si tamen contra Papam sint, audacter & impudenter rejiciuntur.

Pontificij Concilij respectu
Papa minus
æquo tribuunt.

III. Allegat Jesuvvita p. 136. seqq. nonnullos Conciliorum Canones, qui faveant ipsorum doctrinæ de primatu Papa, de continentia Clericorum, de sacrificio missæ, & invocatione sanctorum. Verùm singula hîc non executiemus. Respondit jamdudum Chemnitius in examine, & Whitakerus contra Campianum & Duræum. In genere notetur 1. quod Canones Conciliorum, præsertim Niceni, non omnes sint genuini, sed multi supposititij, præsertim illi, quos de primatu citant. 2. Patres tribuerunt Episcopo Romano primatum ordinis, non autem Monarchicum dominatum super universam Ecclesiam. 3. In Carthaginensi Concilio congregati Episcopi, quos inter Augustinus, rescripserunt expressè, se concessionem primatus in Canonibus Niceni reperire non potuisse. 4. Si maximè Concilia quædam faveant Papicolis, hinc tamen istorum religio non mox probanda, nostra improbanda est, cum multos errores à Concilijs in Canones esse relatos sciamus. Ad Scripturam igitur, Augustini consilio, velut ultimam perfectamq; fidei normam recurrendum, & ex illa de Synodalibus etiam decretis judicandum est.

Fundamentum septimum.

PATRUM CONSENSUS.

Quæcunq; religio Patres antiquos veneratur, & cum ipsorum scriptis consentit, ea procul dubio vera & catholica est. Atqui religio Papistica, non Lutherana, Patres antiquos veneratur, & ipsorum scriptis consentit. Ergo religio Papistica, non Lutherana, procul dubio vera & catholica est. Minorem probat Jesuvvita, quia passim abjectè sentiamus de Patribus, quod ipsum fusè satis evincere tentavit.

CIV.

RESPONDEO AD MAJOREM. 1. Instantia dari potest ab Ecclesia græca, quæ Patres similiter veneratur, & ipsorum consensum pro se adducit, neq; tamen ob id ab errore immunis videtur ipsis Pontificijs. 2. Patres venerari ambiguum est. Vel enim notatur *honor debitus*, in lectione, probatione & grata acceptatione consistens; *vel indebitus*, cum sine examine & collatione cum Scripturis, omnia Patrum dicta & exegemata recipiuntur. Si major de prima honoris specie loquatur, concedimus; si de secunda, negamus. 3. Consensus cum Patribus vel *verus*, vel *apparens* est. Ille tantum attendi, hic neminem movere debet. 4. Patres *alij* puriores sunt, veluti qui primis seculis vixerunt: *alij* impuriores, nævisq; pluribus contaminati. Scripta quoq; ipsorum *vel sunt genuina, vel supposititia, spuria & adulterata*. Honorandi sunt Patres, sed puriores: Recipienda ipsorum scripta, sed genuina & nativa, de quibus nisi major loquatur, nullus argumento nervus inerit.

Honor, qui debetur Patribus.

C V.

RESPONDEO AD MINOREM. Sicut plerumque ita & hic peccari solet, *partim cu ἐλλείψει* vel defectu, *partim cu ὑπερβολῆ* vel excessu. Sunt, qui Patres prorsus rejiciunt; sunt, qui illos nimis extollunt, & normam fidei constituunt. Nos *medium* tenemus, & Patres legendos, sequendosq; dicimus, quando Scripturam ipsi sequuntur; secus si fiat, ab illis non immerito discedimus. Legendi & audiendi sunt Patres, 1. *ut religionis, consensu Patrum firmata certitudo luculentior evadat.* 2. *Ut in locis Scripturæ obscurioribus veterum expositiones habeantur in promptu.* 3. *Ut hæreticorum sententiæ, ipsarumq; refutatio cognoscatur.* 4. *Ut prisca Ecclesiæ status & regimen innotescat.* 5. *Ut morales aliæq; graves & ad movendum perquam efficaces sententiæ observentur.* Injuriam ergo nobis faciunt, qui Patres penitus contemni asserunt. Quoties cum Scriptura consentiunt, cum omni gratitudine illos suscipimus. Si Lutherus, si alij nonnunquam severius duriusq; de Patribus loquuntur, intelligendum id est 1. Comparatè respectu Scripturæ, cui non sunt æquiparandi, 2. limitatè, respectu nævorum & errorum, verbo

Utilitas ex lectione Patrum.

Dei oppositorum, ubi ne quidem mille Cypriani vel Augustini
essent audiendi, si contrarium aperte in sacris literis extaret,
Quod ipsum non est Patres contemnere, sed veritatem aperte
profiteri, & tantum ijs tribuere, quantum salvâ religione pos-
sumus.

CVI.

Pontificij verò latiùs progrediuntur, & patribus plus æquo
assignant, certamq; ab illis victoriam sibi promittunt. *Campianus*
rat s. ait: *Ad Patres si quando libet accedere, confectum est praelium.* Mel-
chior *Ganus* l. 7 c. 3. *Sanctorum Patrum dogmata, tanquam legem, san-
ctæ Dei suscipiunt Ecclesie.* *Gregorius de Valentia* Tom 3. *Comment.*
in *Thomam* disp. 1. q. 1. pun. 7. §. 46. Col. 355. *normam fidei & de-
cisionis statuit iudicium, consensumq; Patrum.* Quam ob causam nulli-
bi non Patres opponunt, & nil nisi Patres, Patres ingeminant,
*Verùm legendi quidem sunt, & venerandi ob canitiem, sic ta-
men, ne ab illis simpliciter & absolutè pendeamus, nec pro in-
dubitanter vero habeamus, quicquid isti scripserunt & docue-
runt.* Petenda sunt ex Patribus non tam fundamenta, quàm
suffragia fidei; Debent legi, ut testes, non ut iudices religio-
nis; ut interpretes, non ut doctores; ut ministri, non ut ma-
gistri *Scripturæ.* Testimonium dent & audiantur, sed cum
discretionem; ne quidvis credatur, sed id tantum, quod *Scriptu-
ræ* consonum. Si verum scripserunt, non ideò verum censea-
tur, quia Patres scripserunt, sed quia ex *Scripturis* hauserunt.
Stemus in libertate, quâ *Christus* nos liberavit, nec iterum ju-
go servitutis implicemur, *Galat. 5. vers. 1.* ne rursus à Patre Deo
ad patres homines; à *Scripturis* divinis ad traditiones huma-
nas; ab autoritate cœlestium oraculorum, ad phantasmata
humanorum somniorum deficiamus. In gyrum *Scriptura-
rum* ex illis immensis *Patrum* spacijs vel inviti compellendi
sunt adversarij. Quod ipsum ne absq; rationibus videamur
asseruisse, sequentes in medium adducimus,

CVII.

*Scripta Patrū
nequeunt esse
fidei norma,
quod probatur.
1. A perfectio-
ne Scripturæ.*

1. *A perfectione & infallibilitate solius Scripturæ.* Hæc adæquata
fidei norma, hæc sola infallibilis & perfecta est, extra quam
nihil

nihil debet credi recipere ut dogma fidei, juxta dicta *Deuteronomio* 4, vers. 2. capit. 12, vers. ultim. *Psalms* 19, vers. 8. *Esa.* 8, vers. 20. *Luc.* 16, vers. ultim. *Galat.* 1, vers. 8. 2. *Timoth.* 3, vers. 16. 2. *Petr.* 1, ver. 19. Quare non est absolutè necessarium ad Patres confugere, & ab illis primùm fidem addiscere. Si enim sola Scriptura infallibilis est & sufficit, Patres utique mensura fidei esse haud possunt. Referrì huc debent quorundam Pontificiorum testimonia, vi veritatis extorta. *Scotus* in præfation. super *Lombardum*, ait: *Patet, quòd Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori.* *Petrus de Alliaco* in libr. *sentent.* quæstion. 1, articul. 3. *Principia Theologica sunt ipsa sacri canonis veritates: Quia ad ipsas fit ultima resolutio Theologici discursus: & ex ijs primò singula conclusiones Theologica deducuntur;* *Joachimus Abbas* in *Apoc.* *Voluntas Dei est, in agnoscenda litera utriusq; Testamenti, nihil præter id quod scriptum est, relationibus aliorum aut opinione præsumere.*

CIIX.

II. A testimonio ipsorum Patrum. Duplex illud est. i. Testan^o 2. A testimonio Patrum.
Scripturam esse perfectam, ideòque solam in rebus fidei audiendam. *Tertullian.* contra *Hermogen.* *Adoro Scripturæ plenitudinem.* *Athanasius* in *Synopsi* ait: *Ad fidem sufficere illa, quæ in Scriptura reperiuntur dogmata.* *Basilius tractat. de fide: Manifestum est infidelitatis & arrogantiae crimen, vel rejicere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid, quod scriptum non est.* *Lactantius* libr. 5. *divin. Institution.* In negotio religionis non valet quicquam mortalis hominis auctoritas, sed divinis testimonijs confirmanda sunt dogmata. Vide plura hujusmodi dicta apud *Chemnitium* in *Examine*: *Eckardum* in *compendio Patrum*; *Perkinsum* in *Catholicismo & VVutakerum* de *Scriptura*. II. *Dicta sua examinari volunt, & eatenus recipi tantùm, quatenus Scripturæ & analogia fidei conveniunt.* *Dionys.* *Alexandrin.* de *Nepote* apud *Euseb.* libr. 7. capit. 23. *H. E.* ait: *In alijs quidem multis ego amplector & diligo Nepotem: sed revera pius omnibus amanda est & præferenda veritas. Laudari oportet & absq; invidia approbari, si quid rectè dictum est: discuti vero & discerni, si quid minus sanè dictum est.* *Justin. Martyr* qu. 119. à Patribus diversum sentientibus

tibus provocare jubet ad Apostolum, quem Patrem Patrum nominat, Hieronymus in Epist. ad Theoph. Scio me aliter habere Apostolos: aliter alios tractatores. Illos fecimus vera dicere, istos in quibusdam, ut homines aberrare. Idem in Epist. ad Tranquil. Ecclesiasticos scriptores, grecos pariter & latinos, ita legendos esse monet, ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria. August. Epist. III. ait, multa inveniri in Patribus quae salva honorificentia, quae illis hominibus debetur, repudiari queant. Idem l. II. contra Faustum Manichaeum de scriptis Patrum sic habet: Genus hoc literarum non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est. Idem alibi hoc scriptum reliquit, citante VWhitaker t. 2. Jesuvvit. Omnium scriptorum dicta judicanda sunt secundum divinam Scripturam, cujus est major autoritas, quam totius humani generis capacitas: non quod damnem illustrissimorum Patrum sententiam, sed quod eos imiter, qui proximè Scripturam accedunt, sed pra omnibus, si aperta fuerit Scriptura, eam ipsam amplector. Anselmus in Comment. in 2. epist. ad Corinth. In libris sanctorum doctorum, quos authenticè legit Ecclesia, nonnunquam inveniuntur prava vel haeretica, non tamen pro his vel libri vel authores damnantur. Vide Antilessium p. 330. 533. & tom. 2. Jesuvvit. pag. 341. 357. 395. 406. 450. 451. ubi multa ejusmodi Patrum dicta recensentur.

CIX.

3. A difficultate.

III. A difficultate. Si nihil in fide recipiendum est, nisi quod à Patribus communi consensu traditum & explicatum habetur, quantum quæso oneris imponetur Ecclesiae? Evolvendi forent omnes omnium Patrum, omniumque Scholasticorum libri, cui uni labori consuetum vitae humanae spacium vix sufficeret. Ergo tamdiu foret de fide dubitandum, donec Patres omnes essent perlustrati.

CX.

4. Ab incertitudine.

IV. Ab incertitudine. Si Patres esse debent norma fidei, fides omnis in meram dubitationem vertetur, & nulla in animo nostro oriri poterit πληροφωεια. Cujus quidem incertitudinis haec praecipua documenta sunt.

Cujus documenta sunt
1. Defectus promissionis.

1. Defectus promissionis, quâ demonstratur infallibilitas. Promisit Deus, se conservaturum Ecclesiam, sed quod doctores Ecclesiae junctim errare labive nequeant, nunquam dictum. Unde

er-

ergo sciam, Patres esse infallibiles? Imò multa sunt fallibilitatis indicia, quæ nunc ordine sequuntur.

2. *Humana imbecillitas.* Omnis homo mendax Rom. 3. v. 4. & facile fieri potest, ut in errores perlabamur. Nunc iudicium vacillat, nunc memoria fallit, nunc alienæ authoritati nimium tribuimus, nunc præconcepta opinio nos decepit, nunc diabolica suggestio seduxit, nunc alia impedimenta obveniunt, quibus nonnunquam à veritatis semita abducimur. Jam vero Patres ejusdem humanæ imbecillitatis origine fuerunt filij, educatione alumni. Homines fuerunt, non Angeli, ideoque labi facillimè potuerunt & decipi. Nulla autem certitudo locum habere potest, nisi infallibiliter constet, eum, quem sequi debeo, labi non potuisse. Si norma est fallibilis, quomodo normatum erit immotum & infallibile? De Apottolis scimus, quòd fuerint in omnem veritatem semper ducti à Spiritu S. cujus instinctu scribebant: de Patribus tale nihil est proditum. Igitur qui iis absolutè & in omnibus credit, in meras dubitationum voragines incidet.

3. *Exempla lapsuum.* Patres non modo errare potuerunt, sed etiam sæpiùs errarunt. Jerem. 56. v. 10. de speculatoribus dicitur, quòd sæpè cæci fiant. Esa. 43. v. 29. Pater tuus primus peccavit. Jerem. 9. v. 14. Abierunt post Baalim, quod didicerunt à Patribus suis. Gal. 1. v. 13. 14. Persequebar Ecclesiam studiosus paternarum traditionum. 1. Petr. 1. v. 18. redempti estis à vana vestra conversatione, quam ex Patrum acceperatis traditione. Irenæus l. 2. c. 39. scribit, Christum ultra quadragesimum aut quinquagesimum annū docuisse, quod tamen communi Ecclesiæ iudicio receptum non esse Feuardenius fatetur. Clemens scripsit! 3. Stro. Christum non verè esuriisse, l. 1. uno tantum anno docuisse, l. 5. Philosophos in inferis Christi adventum expectasse, eosq; voce edoctos credidisse. Cyprianus multa imprudenter & incommodè scripsit de pœnitentia. Refert Nazianzenus de se ipso, ineunte ætate fuisse dissolutum multiq; vitiis deditum, & dæmones coluisse. δαίμόνων, inquit, ἦν ἑρραπτεῦσθής, ὁ χεῖρ ἔμαθην τῆς ὕσεργυ. Porro prædictus Irenæus, Chiliasta, Tertullianus Montanista fuit. Cyprianus ab hæreticis baptizatos rebaptizandos statuit. Hieronymus secundas nuptias damnavit. Et quis Origenis, quis aliorum errores ignorat? Hieronymus ipse fatetur, se quædam incogitanter scripsisse, quando sic de seipso ait. l. Contra

Helvidium: Rhetorici sumus, inque morem declamatorum paulum lusimus. Hæc lapsuum exempla omnem certitudinem impediunt. Statim enim mens humana cogitat: Si semel lapsi sunt, potuerunt sæpius labi. Cur ergo simpliciter credas? Proinde sicut Augustinus ait, totius Scripturæ auctoritatem vacillare, si unus leuiusculus error in ea demonstrari possit: ita & de Patribus antiquis cogitandum est.

4. *Inconstantia.* 4. *Inconstantia.* Rarò enim factum, ut unus Pater idem ubique & in omnibus tenuerit; sed sæpè sententiam suam mutarunt, sæpè à seipsis discrepauerunt. Quòd si ergo sibiipsis non constiterunt, quomodo infallibiles esse poterunt? In opinionibus fuerunt inconstantes, & nos ex ijs certitudinem constantemq; fidem hauriemus? Huc pertinet illud Augustini: Neminem volo sic amplecti mea omnia, ut me sequatur, nisi in his, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros *Retractationum*, ut nec meipsum in omnibus secutum fuisse demonstrem.

5. *Dissensio.* 5. *Dissensio.* Rarissimè enim Patres omnes consentiunt, sæpius altercati sunt, quarum litium exempla vide in *AntiLesio* p. 288. 289. Controversia fuit de igne 1. Cor. 3. v. 13. Augustinus accepit de afflictio huius vitæ statu. Hieronymus de examinatione iudicij. Gregorius & Pontificij de igne purgatorio. Per traditiones 2. Thess. 2. v. 15. multi intelligunt tacitas traditiones, Ambrosius ipsum Evangelium. Per opera legis apud Paulum intelligit Origenes & Hieronymus ceremonialia, Augustinus & Ambrosius totam legem. De dicto Gal. 2. v. 11. ubi Paulus Petro restitisse dicitur, dissentiunt Augustinus & Hieronymus. Ille Paulum existimat ingenuè & ex animo locutum, hic simulatè. Quòd si ergo hunc probas, illum improbes necesse est. Res autem illa summâ contentione multisq; epistolis ultrò citroq; missis fuit disputata. Hieronymus septem antiquiores Patres pro sua opinione citavit, Augustinus alios opposuit, quare multorum fuit dissensio, & res non levis, quâ in dubium vocabatur veracitas ipsius Apostoli. Cui ergo parti tu credes? Unde certificaberis, hos verum, illos falsum dicere? Utrique sunt Patres, adeoq; quoad auctoritatem pares. Fluctuandum ergo perpetuò erit, nisi ad Scripturam certitudinis normam confugas.

6. *Multo-*

6. *Multorum Scriptorum interitus.* Certum est, temporum & hominum injuriâ plurimos Patrum veterumq; doctorum codices interisse. Quis autem fidem faciet, quòd in ijs quasdam sententias non correxerint? Quis fidem faciet, Patres, qui perierunt, eadem docuisse cum his, qui supersunt? Fortassis sæpè dissenserunt, aliudq; alij tradiderunt, quod vehementer probabile fit, si mores Pontificum considerentur. Hi aboleverunt omnia, quæ suæ apostasiæ non favebant. Quomodo igitur Patrum omnium consensus acquiri, & ex illo de fide judicari potest, si non omnes habeantur, sed plurimi interierint? 6. Multorum
Scriptorum
interitus.
7. *Depravatio codicum extantium.* Testatur Papalis index expurgatorius, quàm miserè castraverint & depravaverint Patres. Quædam expunxerunt, quædam addiderunt, quædam mutârunt. Et hos mutilatos Patres certam fidei normam putabimus? Quæ certitudo, cum quilibet Pontifex mutet, ut lubet? Testatum sanè fecerunt isto indice, Patres religioni Papisticæ nõ favere, nisi castrentur immutenturq;: Et nihilominus adeò impudentes sunt, ut normam fidei appellare audeant. 7. Depravatio
codicum ex-
tantium.
8. *Libri suppositij.* Non enim tantùm nonnulla in genuinis Patrum scriptis immutant, sed insuper totos integros codices nomine Patrum venditant, cum tamen nihil minus sint, quàm scripta Patrum. *Opera Dionysij, Epistolæ decretales, Apostolorum, Canones & similia* nil sunt nisi codices suppositij falsiq;, quemadmodum eruditè solideq; demonstravit *Robertus Cocus*, in *Censura scriptorum veterum*; Londini anno 1614. impressa. Quæ igitur fidei certitudo ex illis confictis & suppositijs libris oriri poterit? 8. Libri sup-
positij.
9. *Imperfectio Patrum.* Debet fides ex doctrina Patrum æstimari. At verò non omnes Patres de omnibus articulis scripserunt. Qui ergo sciri poterit, quæ Patrum doctrina fuerit de eo articulo, de quo nihil scripserunt? Num meris ibi conjecturis nitendum? Ast quæ hinc $\pi\lambda\eta\phi\omicron\phi\omicron\epsilon'$? 9. Imperfectio
Patrum.
10. *Obscuritas & ambiguitas Patrum.* Antiquiores enim, inter quos præsertim est *Tertullianus*, tam sunt obscuri, tam ambigui, ut ferè me intelligi nequeant, ideoq; plurimæ de sensu ipsorum sint altercationes. Hic ita, alius aliter intelligit, & sæpè verba sic sunt comparata, ut varijs interpretationibus queant accommodari. Quæ ergò fluat inde certitudo? 10. Obscuritas
& ambiguitas.

ii. Confessio
Pontificiorum

ii. Pontificiorum Confessio. Si Patres infallibilis fidei norma sunt, sequendi etiam erunt in omnibus. At verò ipsi Jesuitæ sapissimè recedunt, & loco antiquæ Patrum expositionis novam & peculiarem substituunt, uti ex Bellarmino & Valentiano videre est. Annon autem hoc exemplo testantur, Patres non esse infallibiles, nec ipsorum interpretationem, multò minus doctrinam in omnibus sine discretionè sequendam esse? Aliud proinde dicunt, & aliud faciunt. Melchior Canus apertè scribit l. 2. L. C. c. 6. Non omnia, quæ magni authores scripserunt, sunt undiq; perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgòq; interdum etiam indulgent. Villavincenius de rat. Audij Theol. l. 4. c. 6. observ. 1. Palam est, Patres omnes, quantumlibet insignes vitæ innocentia atq; eruditione, subinde verbo scriptoq; offendere. Possevinus l. 12. c. 23. fatetur, Patres à scopo sapissimè aberrare. Cajetanus inic. Commentar. in Genesin: Si quando occurrerit aliquis sensus textui consonus, quamvis à torrente doctorum alienus, Lector æquum se præbeat censorem, nullusq; detestetur illum ex hoc, quòd dissonat à priscis doctoribus. Non enim alligavit Deus expositionem Scripturæ priscorum doctorum sensibus: alioquin spes nobis tolleretur exponendi Scripturam, nisi transferendo, ut ajunt, de libro in quinternum. Duræus in confut resp. Witt. rat 5. Patres non censentur Patres, cum suum aliquid, quòd ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt, vel docent. Baronius in Annalibus anno 34. § 213. scribit: Non omnes, qui loco Apostolorum successerunt Episcopi, assecuti sunt sensum & intelligentiam Scripturarum. Nam Sanctissimos Patres, quos doctores Ecclesiæ; ob eorum sublimem eruditionem, meritò nominamus, quantumlibet ea Spiritus sancti gratia præ ceteris imbutos esse liqueat; in interpretatione Scripturarum, non semper nec in omnibus sequitur Catholica Ecclesia. Tannerus th. 83. de jud. Controv. An fortasse SS. Patres jam demortui, patrumq; monumenta judices erunt? Neq; hoc. Tum quia non minùs aliquando de Patrum, quàm de Scripturæ sententia, propter ambiguitatem & obscuritatem, dubitari potest. Tum quia singuli Patres fallere possunt. Alphonsus Salmeron Patrum oculos ita perstringit, ut dicat, in illis minus certæ & inconstantis veritatis nonnulla, quedam verò probabilia, interdum graviores lapsus occurrere, Disput. 4. super 2. Timoth. c. 3. tom. 15. oper. Quod adeò non displicet Bellarmino, ut hoc nomine illosmet ipsos perstringat, cum ait: præcipuos

cipuos ex illis non leviter in quibusdam lapsos esse, l. 3. de v. Dei. c. 10. Et a-
libi. Sacra Scripta Patrum non sunt regula, nec habent auctoritatem ob-
ligandi. l. 2. de Concilijs c. 12.

CXI.

Atq; sic ex ipsorum adversariorum confessione palam facimus, quod ne ipsi quidem antiquos Patres adeo curent, eamque ob causam sibi turpiter contradicant, dum a nobis exigunt, quod ipsi non faciunt. Quando enim aliquid suae causae in speciem favens inveniunt, miris laudibus Patres extollunt: cum autem suum ipsis consensum denegant Patres, tum mutilantur, rejiciuntur, vel ad sensum Ecclesiae Romanae violenter flectuntur. Ut ergo Papicolae Patres ad Pontificis, ita nos ad Scripturae stateram appendimus, ideoq; iis plus tribuimus, quia scripta sua divinis literis, non auctem unius hominis iudicio subjacere ipsi voluerunt.

CXII.

Plura huic fundamento plane ficulneo non opponemus, cum ex dictis, quae nostra de Patrum commentariis, sit sententia, luculenter constare possit, quae percepta ad prolixas declamationes Reihingi respondere est facillimum. Nihil enim agit nisi calumniatorem in recensenda nostra, & sophistam in reticenda propria de Patribus sententia. Multum tribuunt ijs Papicolae, quando Romanae potestati & fidei in speciem patrocinantur: Nihil tribuunt, sed pro arbitratu mutant, rejiciunt, quoties a Papae dogmatibus discedunt, unde fraus ipsorum insignis, & verè haereticum strategema cuius dextere judicanti perspicue innotescit. Nec enim iistam propositum est, Patres laudibus ornare, quam nos calumniis onerare, nec causae fiducia aut Patrum reverentiam, sed conviciandi libidine, & invidia nobis conflandae studio movent hanc de Patrum auctoritate controversiam.

Insigne exem-
plum fraudum
Papalium.

Fundamentum Octavum.

SANCTITAS ET MIRACULA.

CXIII.

Quae religio inducit sanctitatem vitae, & confir-
matur miraculis, ea reliquis omnibus est praeferen-

K 3

da. Sed

da. Sed religio Papistica, non Lutherana, inducit
sanctitatem vitæ, & confirmatur miraculis. Ergo
religio Papistica, non Lutherana, reliquis omnibus
est præferenda. Minorem probat, quia in Papatu
doceatur meritum operum, & suadeatur contemptus
divitiarum, jejunium, continentia, vita monasti-
ca & similia, quorum cultores & sanctitate & mi-
raculis sint conspicui, quale nihil in nostra reperi-
atur Ecclesia.

CXIV.

RESPONDEO AD MAIOREM. I. DE SANCTITATE
VITÆ. Duplex ea est, Interna cordis; Externa oris & operis. Internam
πρώτως intelligere nequit Jesusvira, tum quia occulta est & invi-
sibilis: tum quia nulla datur religio, quæ non suadeat eam & requi-
rat. Externa vel est à Deo præcepta, & communis; vel sponte susce-
pta, & quibusdam propria. Illam specialiter pietatem, hanc religio-
sitatem nuncupant. Quamcunq; intelligat, major vacillat. Si pie-
tatem, vera quidem religio eam suadet; non tamen sequitur, om-
nem illam religionem esse veram, quæ suadet, cum nulla secta
tam sit proterve impia, quæ non cultores suos ad pietatis studium
invitet. Si religiositatem, in vita monastica, & humanarum legum
observationem sitam innuat, neque sic procedet major. 1. Quia anti-
qua vera religio Judaica nulla vota monastica inculcavit. 2. Quia a-
liis Essenorum & Pharisaorum doctrina foret adprobanda. Esse-
norum religiositatem describit Iosephus l. 2. Belli Iud. c. 8. Phari-
sæorum idem l. 18. An. Iud. c. 2. & Sigonius l. 5. de Repub. Hebr. c. 11. quibus
addimus Ecclesias Græcas, ubi non minus habentur monasteria, &
reperiuntur multi externâ sanctitatis specie præditi, quibus
tamen ob id religionis veræ titulum non assignât Papicola. 3. Quia
nec Christus, nec Apostoli, vota monastica utserunt, quippe super-
stitioni, & falsæ opinioni de impletione legis & meritis operum
superstructa. 4. Quia vera religio tantum lateret in monasteriis,
siquidem extra hæc proprium finem suum non assequitur, nec ge-
nuum effectum operatur.

CXV.

Duplex sancti-
tas.

Sanctitas mo-
nastica non est
nota vere fidei.

II. DE MIRACULIS. Sunt hæc fidei velut sigilla quædam & testimonia, non tamen perpetuò necessaria. *Vel enim fides primum est propaganda, vel jam propagata. Ibi Christus suos instruxit dono miraculorum, ad gentiles eò citius convertendos; hinc nova semper miracula requiri inficiasimus.* Nam 1. nullibi hoc in Scripturis promissum. 2. Miracula ultimis temporibus fore Pseudo-*Miracula non sunt semper necessaria, nec nota infalibiles.* Prophetarum & Antichristi signa, *Matth. 24. v. 24. 2. Thess. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 13. 14.* prædictum est. 3. Miracula non sunt perpetui veræ doctrinæ comites. Nec enim probari potest, omnes Prophetas claruisse miraculis: Johannes Baptista signum nullum edidit, *Ioh. 10. v. 41.* Et licet in nativitate ejus quædam mira contigerint, non tamen fuerunt propriè miracula, in confirmationem doctrinæ directæ, nec queritur hinc de iis, quæ fiunt circa personas, sed quæ fiunt à personis, & quidem liberè agentibus, & ad actionem miraculosam suo modo concurrentibus. 4. Miracula falsis etiam doctoribus sunt communia, exemplo *Magorum Exod. 7. & Pharisæorum, dæmones expellentium, quò insuper spectat prædictio Deut. 17. v. 1. seqq. & Matth. 24. v. 24.* Si dicant, esse illa mirabilia, non miracula, diabolica, non divina: annon idem de prodigiis Papiſticis reponi poterit? Et licet magnum inter vera ac falsa miracula discrimen sit, externâ tamen specie crebrò conveniunt, ut nisi ex doctrina & verbo DEI probentur, discerni nequeant, non diffidente *Bellarmino l. 4. de Eccles. c. 14.* Prius ergo de singulis fidei articulis disputandum est ex Scripturis, antequam jactentur vel poscantur miracula. 5. DEUS quandoque falsos doctores *ὄντας δαυματῶν* ad tempus instruit, non in confirmationem fallorum dogmatum, sed ob probationem piorum, exemplo *Baami, Num. 24. & vi dicti Deut. 13. v. 3.* unde *Bellarminus* fatetur *l. 1. de grat. c. 10,* donum miraculorum posse à vera doctrina separari. 6. Pharisaicum & Judæicum est signa poscere, *Matth. 12. v. 38. cap. 16. v. 1. Marc. 8. v. 11. Luc. 11. v. 29. Iohan. 2. v. 19. c. 6. v. 30. 1. Cor. 1. v. 21.* Imò 7. incredulitatis, non veræ fidei nota est postulare miracula, exemplo *Pharisæorum, & reguli Johann. 4. v. 48.*

CXXVI.

*Vicia sanctitatis
in Papistica.*

RESPONDEO AD MINOREM. 1. De sanctitate Pa-
pali. Hanc quidem jactitant, imprimis autem vitam monasticam
cum attinentibus intelligunt, cui tamen verae sanctitatis titulus
tribui nequit, quia 1. In Scripturis nullibi est præcepta vel insinua-
ta. 2. Plerumque est hypocritica & simulata. 3. Sæpè stolidi &
ridiculi. 4. Pharisaica, & ratione ipsorum operum & finis. 5. Non
rarò coacta & involuntaria. 6. Superstitiosa. 7. Fabulosa. 8. gravis-
simis in fide erroribus substructa, quæ omnia cum in *AntiLessio* par.
2. Consil. 1. 2. 3. fusè demonstraverim, ad illorum lectionem re-
missum volo Jesuvitam.

CXXVII.

*Quot & quan-
ta peccata
religio Pa-
palis inducat?*

Pari modo vana est gloriatio, malos mores in Ecclesia Roma-
na non nasci ex doctrinæ vitio, sed per accidens oriri à malicia ho-
minum. Ostensum enim alibi est, quòd ipsa religio Papalis indu-
cat contra primum præceptum. 1. ἐθελοθρησκείας. 2. εἰδωλολατρείαν.
3. εἰκονολατρείαν & 4. Scripturæ contemptum. Contra secundum 1. Per-
juria. 2. Magiam. Contra tertium. 1. Sabbathi profanationem. 2. Ni-
miam festorum multiplicationem. Contra quartum 1. ἀσοργίαν &
irreverentiã parentum. 2. Despectum magistratus. Contra quintum
1. carnes. 2. parricidia. 3. ἀντικτονίαν. 4. tyrannidem. Contra se-
xtum. 1. Sodomiam. 2. Impurum concubinatum. 3. Incestuosas nu-
ptias. 4. Illegitima divortia. Contra septimum. 1. rapinas & iniquas
bonorum temporalium possessiones. 2. sacrilegium. 3. Simoniam.
Contra Octavum 1. depravationes scriptorum & crimina falsi. 2. pu-
blica ac notoria mendacia. 3. calumnias & convicia. Contra nonum
& denique decimum præceptum extenuat concupiscentiam, quo
pacto ansam præbet Pharisaicæ arrogantia & simulationi.

CXXVIII.

Præterea licet maximè religio Papalis terrorem quendam
incurere; & virtutis bonorumq; operum studium inculcare vide-
atur, facit tamen per media inconvenientia in Scripturis reproba-
ta, & omne solatium ac πληροφροσίαν adimentia, qualia sunt. 1.
plenaria peccatorum singulorum confessio. 2. dogma de meritis
operum. 3. de satisfactione. 4. purgatorio. 5. dubitatione, & quæ
sunt id genus alia.

119. Tan-

CXIX.

Tandem si doctrina Papistica ab omnibus vitijs tam potenter avocatur, cur quæso hic effectus in summis capitibus, Papis Romanis tam raro deprehensus est? Quinq; Pontifices se totos consecrarunt Satanæ, Sylvester II. Benedictus IX. Johannes XX. XXI. & Gregorius VII. Alij alijs sceleribus fuere polluti, quod diffiteri non potuit *Georgius Gotthardus* Jesuvvita in tract. adversus D. Heerbrandum ita scribens: *Plerosq; Pontifices turpem & flagitiosam vitam traduxisse, luce clarius est.* Si audire lubeat, facile demonstrabimus, Papam esse 1. Apostatam. 2. idololatram. 3. blasphemum. 4. Crudelem & sanguinarium. 5. tyrannum. 6. scortatorem. 7. luxuriosum. 8. injustum. 9. Simoniacum. 10. sacrilegum. 11. mendacem. 12. maledicum. 13. hypocritam. 14. superbum, & 15. negligentem in officio, quorum omnium *Prodes Ew* si requiras, invenies eam in *AntiLesio* à pag. 457. usq; ad pag. 477.

Peccata Pontificis.

CXX.

II. *De sanctitate nostræ Ecclesie.* Atrox & frequens calumnia est, bonorum operum studium à nobis vel planè tolli, vel plurimum impediri. Sed contrarium ex sequentibus religionis nostræ hypothsesibus clarissimè elucescit. Nam 1. docemus, fidem justificantem non esse otiosam, sed in exercitio virtutum semper occupatam. 2. Legem moralem non destruimus, sed omnibus, ut normam operum proponimus. 3. Quotidianam carnis mortificationem urgemus. 4. Multis de causis nostros homines ad bona opera excitamus, ut quod sint facienda propter Deum, Angelos, proximum, nos ipsos & Diabolum, quæ omnia bonorum operum incentiva si quis perpendat accuratè, nostram mox innocentiam, & calumniandi libidinem Jesuvviticam satis superque deprehendet.

Non impedimus, sed promovemus studium bonorum operum.

CXXI.

Quæ autem Lutherus contra bona opera disputasse videtur, ea tantum ad excludendum meritum. & opera ex articulo justificationis removenda pertinent, quam mentem suam passim luculenter aperuit. De vita ipsius quæ spargunt, calumniæ sunt, vel ex confictis narrationibus, vel quibusdam Lutheri dictis sinistrè acceptis petite, (ut in *AntiLesio* evici p. 443. seqq.)

L

inter

Conversatio
Monachorum
cum Satana.

inter quas hæc excellit vel maximè, quòd magistro diabolo sit
usus, quo mendacio an magis crassum horrendumve excogitari
possit, dubito. Videatur ipsius solida confutatio apud Dn.
D. Balduinum, in Hyperaspiste & tractat. Theolog Serario Jesu-
vvitæ opposita. Quàm sæpè autem in Papatu Diabolus appa-
reat, & hominibus se associet, ex sequentibus notum fit. In
libro *conformitatum* legitur, quòd Satanas Ruffino Franciscano
dixerit: *Damnatus es cum Francisco*. Hic autem præcepit fratri Ruf-
fino, ut responderet, *Aperi os tuum, & ego in ipsum stercorizabo*. Ex
legendis Dominici & Francisci patet, quàm sæpè cum ipsis con-
versatus sit diabolus. Antoninus refert tom. 3. tit. 23. capit. 4.
quòd adegerit demonas ad indicandum peccata Dominicanorum. Franci-
scum diabolus sæpè verberavit & flagellavit, eumque aliquan-
do Franciscanum quendam secum abducturus esset in infer-
num, sibi eum prius sisti Franciscus voluit, & cucullum detra-
xit, ne habitu sui ordinis deveniret ad inferos. Missifices quàm
sæpè Diabolicas artes exercuerint, probavit experientia. Nota
est historia de *Iohanne Teutonico*, tribus longè distitis locis eadem
nocte missam celebrante. Aliud exemplum refert *Bodinus* l. 2. da-
mon. c. 4. cui addatur *Demonomania Pistoriana*, per Dn. D. Jac. Heil-
brunnerum edita.

CXXII.

Porro si cultores fidei nostræ sanctitate conspicuos deside-
rant, nominamus ijs *Prophetas & Apostolos*, cum quibus per omnia
consentimus: nominamus *Primos Patres*, orthodoxam fidè pro-
fitentes, quorum nonnulli fuere monachi, sed non sub opinione
meriti vel cultus, sed *aut* propter necessitatem & persecutiones
Imperatorum; *aut* propter utilitatem juniorum, quos informa-
bant. Et licèt Patres isti navis nõ omninò caruerint, fundamen-
tum tamen fidei de gratuita justificatione, de solo Deo invocan-
do, de uno fidelium capite Christo, &c. illibatū tenuerunt, atq;
sic non hodiernæ Romanæ, sed antiquæ Apostolicæ, quæ iu-
dem nostra est, religioni fuerunt addicti: quos postmodum se-
cuti sunt alij per singulas centurias, uti refertur in catalogo te-
stium veritatis; donec tandem Deus excitavit Megalandrum.

LXX

Lutherum, de quo scripsit Erasmus l. ii. epistol. i. *Hominis vita magno omnium consensu probatur.* Jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumniantur.

CXXIII.

Auditores quod attinet, illorum mores in probanda doctrina non sunt attendendi, cum doctores optimi habere possint. *De moribus auditorum.* Auditores pessimos, uti multorum Prophetarum, & ipsius Christi exemplum satis abundè comprobat. Neq; tamen desunt in nostris Ecclesijs viri sancti, ducentes vitam Christiano dignam, qui licet ad sanctos non confugiant, nec operibus confidant, Deum tamen sincerè colunt, & cum Publicano quotidie ingemiscunt: *Deus propitius esto mihi peccatori*, Luc. 18, v. 13. quo pacto præ Pontificijs, externâ sanctitatis specie turgentibus, justificati descendunt, magisq; sancti in oculis Domini apparent.

CXXIV.

III. *De miraculis Papisticis.* Firmissimum est principium: *Si doctrina sit falsa, fallunt etiam miracula.* At verò doctrina Papistica falsa est, verborq; Dei contraria. *De miraculis Papisticis.* Quare miracula, quæ jactant, vel nulla vel falsa sunt. Minorem si negarint, in certamen Scripturarum nobiscum descendant, & de miraculis gloriari desinant. Si enim deprehendatur discrepantia à Scripturis, unâ operâ falsitas tum doctrinæ, tum miraculorum, quæ alijs videbantur satis splendida, manifestè cognoscetur. Nam & hæretici talia miracula nonnunquam ediderunt, qualia Divi Papistici. Dæmonas expulerunt Pharisei. Cæcis visum, claudis rectitudinem restituit, & mortuos resuscitare visus est Simon Magus, quem secuti sunt viri magiâ & miraculis clari. Nisi ergo doctrina ex Scripturis probata prius fuerit, nihil suis signis toties jactatis lucrabuntur Pontificij.

CXXV.

Deinde ut addamus aliquid in specie de prodigijs Romanæ Ecclesiæ, quedam illorū planè nō contigerunt, quedam contigerunt, vel apparenter tantum, vel verè & realiter, sed per illusionē Satanae. Unde tria oriuntur Papaliū signorum genera, quorum

primum continet miracula ficta, quæ planè non contigerunt, nec unquam visa sunt contingere: secundum comprehendit signa simulata vel humana, quæ quidem visa sunt contingere, non tamen erant vera prodigia, sed tantùm talia spectantibus apparebant, quibus imposuerunt sacrificuli, varias species arte & dolo productas objicientes: tertium complectitur miracula diabolica, seu virtute dæmonis patrata, quæ vel tantùm præstigiæ fuerunt, vel verè contigerunt, quò referimus expulsiones dæmoniorum, sanationes agrotorum, cæcorum, claudorum &c. de quibus omnibus disputavi prolixius in *AntiLesio* pag. 212. seqq.

CXXV.

De miraculis
nostræ Eccle-
siæ.

IV. De miraculis nostræ Ecclesiæ. Religio Lutheri non fuit novæ, sed antiqua & Apostolica, jamdudum miraculis demonstrata, novis necessariò haut confirmanda. Nam *miracula fuerunt quidem necessaria, priusquam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis verò adhuc prodigia, ut credat, inquirat, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit*, uti loquitur *Augustinus* lib. 22. de civ. Dei c. 8. Et annon iniquum postulatum est, requirere à nobis miracula, cum nulla extet promissio, velle. Deum ultimis mundi temporibus per varia signa veram doctrinam notificare? Quò si tamen adeò morosè in postulato suo perseverent, loco miraculi allegare possumus magnum illud & admirandum *reformationis opus*, quo ejecta sunt multa è claustris dæmonia, captivi sub tyrannide Papali potenter educti, conscientie mortuæ languentesq; læto Evangelij nuncio vivificate, claudicantes in fide sanati, spiritualiter cæci repente illuminati, ut populus, qui ambulaverat in tenebris, lucem videret splendidissimam, & hilari voce exclamaret: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris*. Quæ verò *Reihing* p. 214. recenset de Luthero miracula tentante, sed perficere non valente, manifesta sunt *Cochlei* mendacia. Notum enim est, quòd Lutherus non miraculis, sed tantùm ex Scripturis doctrinam suam probare voluerit. Cumq; *Cochleus* publicorum *Ἰσδοροῦ Φινάτων* aliquoties convictus sit, quis prudens ullam ipsi fidem habebit?

Fundamentum nonum.

N O M E N C A T H O L I C U M.

126. Que

CXXVI.

*Quæ religio vocatur & est Catholica, illa sola
censeri debet vera & divina. Sed religio Romana,
non Lutherana, vocatur & est Catholica. Ergo
sola religio Romana, non Lutherana, censeri debet
vera & divina.*

CXXVII.

RESPONDEO AD MAJOREM. Si nuda appellatione intelligitur, nulla vis inest argumento, cum aliud sit dici, & aliud esse, multaq; dicantur, quæ tamen non sunt. Nomina enim dependent ab impositione humana vel antiquo usu, qui semel introductus sæpè retinetur, quamvis res vocabulo expressa defuerit. Late patens fallaciæ locus est ex rerum vocabulis, inquit Philosophus i. Elench. c. i. Sine rebus enim quid sunt nomina, nisi sonora mendacia? Donatistæ gloriabantur se Catholicos esse, sed responsum est à judice apud Augustinum in collat. diei tert. quòd debeant laborare magis, ut reipsa ostendant, se esse Catholicos. Simon Magus vocabatur *μεγάλη δυνάμις*, *Act. 8, v. 10.* Diana, magnum numen *Act. 19, v. 27.* Pharisei, legis explanatores; Judæi, semen Abrahamæ & peculium Dei, quibus tamen nominibus res & veritas non suberat: unde concludimus, ex sola nudaq; appellatione Catholici ad puritatem fidei vitiosum neçti argumentum. Si verò cum nomine jungatur res ipsa, ut conjungere videtur Jesuwita, majorem facile concedemus, minor autem probationis erit indiga. Quod ut melius intelligatur, ipsum Catholici nomen, non nihil explicandum venit.

*Solum nomen
nil probat.*

CXXIIX.

Catholicus est vocabulum origine *græcum*, & quidem *ἀγέλα* *ᾠον*, à Patribus Ecclesiæ post Apostolorum tempora usurpari ceptum. Nec enim quemq; sub Apostolis vocatum esse catholicum, probari potest, unde nostri colligunt, Symbolum Apostolicum ab ipsis Apostolis non esse compositum, quia vox *Catholica* tertio articulo est inserta. Quoad rem ipsam nil differt à Christiano, siquidem dicuntur reciprocè. Et licet Pacianus voca-

*Catholicus quis
sit?*

Bulum Christiani habeat pro nomine, Catholici pro cognomine, hæc ipsa tamen non realis, sed merè rationalis est distinctio.

CXXIX.

Propriè autem loquendo καθολικὸν idem est, quod universale, ideoq; fides Catholica nil aliud notat, quàm fidem universalem vel universam. Duplex autem est verè religionis universalitas. 1. *Externa.* 2. *Interna.* Illa respicit circumstantias, 1. ubi, 2. apud quos, & 3. quando doceatur, unde triplex emergit verè fidei universalitas. 1. Ratione *loci*, quòd in universo mundo prædicetur. 2. Ratione *sexus, ætatis & conditionis*, quòd omnibus hominum generibus annuncietur. 3. Ratione *temporis*, quòd omni tempore audiatur, & usque ad diem ultimum duratura sit. Sic ergo fides Catholica, quoad externam universalitatem est, *quæ in toto mundo annunciata, ab omni generis hominibus recipitur semper duratur.* Interna verò universalitas Scripturam respicit & hoc indicat, quòd verè fides omnia comprehendat, credatque, quæ tum Prophetæ, tum Apostoli docuerunt, quo sensu Catholicum idem est, quod *orthodoxum*, & opponitur hæretico. Ut enim ἀρετικὸς ille dicitur, qui dogma peculiare & Scripturis adversum spargit: Ita καθολικὸς est, qui singularia hominum commenta non attendit, sed universam doctrinam Apostolicam sincerè amplectitur, consensumque illum fidei sartum rectumque custodit. Atque hæc est illa duplex universalitas, quæ si accuratè consideretur, fidem orthodoxam respectu prioris *universalem*; respectu posterioris *universam* nuncupare possumus: estque hæc posterior principalis, & cum primis attendenda, si religio aliqua non tantùm dici, sed etiam esse debeat Catholica.

CXXX.

Concedimus quidem, fidem Apostolicam in toto mundo annunciata & semper duraturam esse, quòd tamen perpetuò magna credentium multitudo, & insignis Ecclesiæ majestas futura sit, ut religio Catholica dici nequeat, nisi ubi splendor iste cernitur, nequaquam largiri possumus. Duo enim ut Christi, sic Ecclesiæ status sunt. Alter *exaltationis*, cùm floret multitudine credentium, & in cultu religioso sine impedimento perseverat:

alter

Religionis
universalitas
Externa
loci
Sexus
Temporis
Interna
Scripturam respicit

Duos status Ec-
clesiæ

Exaltationis
Exinanitionis

alter exinanitionis, quādo premitur, & vel à tyrannis, vel hæreticis vim patitur. In illo statu est visibilis, dilatata & gloriosa: In hoc autem sæpè fit invisibilis, angusta & calamitosa. Evinci hoc potest: 1. ab Ecclesia populi Israëliti in deserto, tempore *μωϋσαίου*. 2. ab Ecclesia Judaica tempore Eliæ & Achabi. 3. ab Ecclesia temporis Phariseismi & prædicantis Christi. 4. à divinis predictionibus. Luc. 18. v. 8. 2. Thess. 2. v. 3. 1. Tim. 4. v. 1. Apoc. 12. v. 6. c. 13. v. 3. 7. 8. 16. 17. & 5. ab Ecclesia tempore decem persecutionum. 6. Ab Ecclesia Arianismi, ubi totus orbis ingemuit, & se tam citò factum Arianum, miratus est, teste Hieronymo in Catal. contra Lucifer.

CXXXI.

Quæ in contrarium magno numero proferuntur dicta & promissiones, ea intelligenda sunt cum exceptione persecutionis & probationis. Nam & Ecclesie Judaicæ promissiones factæ sunt insignes Psal. 132. v. 13. 14. Esa. 30. v. 20. Jerem. 7. v. 23. & nihilominus ingratitude hominum corruptelis Phariseorum & paucitate fidelium per tempus benè longum vindicata est. Multa etiam dicta loquuntur, non tam de Ecclesie dilatatione, quàm perpetuitate: de splendore interno, in fide, spe, charitate sito: non de externo, in dilatatione & copia consistente.

CXXXII.

Atque ex his jam luculentum est, quid ad majorem respondendi debeat. Caret nervo, si vel solum nomen, vel sola universalitas loci & multitudo credentium per fidem Catholicam intelligatur. Concedimus, si cum nomine res, & rei principale membrum, videlicet consensus cum universa doctrina Apostolica jungatur. Multitudo enim errantium, errori non facit præteritum, ideoque nihil obtinebunt nomine Catholico, nisi suæ prius fidei puritatem ex Scriptura demonstraverint. Hoc postquam effectum dederint, (fiet autem ad Calendas græcas) tum secundarium istud de dilatatione Ecclesie argumentum cum Augustino subnectere & urgere poterunt.

CXXXIII.

RESPONDEO AD MINOREM. 1. Papistica religio

*Religio Papi-
fica non est Ca-
tholica.*

ligio, vulgò quidem catholica, & Romanenses Catholici di-
cuntur, sed tantùm titulus est, & merum nomen absq; re. Quon-
dam Romana fides verè fuit Catholica & Apostolica: nunc so-
lum nomen remansit, non secus, ac Pharisei antiquum *legisperito-
rum* titulum falsò jactabant. Quando igitur à nobis dicuntur
Catholici, tum loquimur secundum illorum opinionem, vel
εἰς ὅντι κῶς, ut illi vocant nos Reformatos & Evangelicos. Quo-
modo enim Catholici essent, qui sequuntur *ἐν τῷ λυατῷ* huma-
na, & quoad cultum divinum contra Scripturam tam varia in-
ducunt? Si negaverint, demonstrent orthodoxiam suam ex sa-
cro codice, quia in consultatione de fide non primò conside-
randum est, quæ religio dicatur Catholica, sed quæ sit, hoc est,
cujus articuli sacris literis sint comprehensi, teste *Chrysostomo* T.
2. homil. 19. in c. 7. Matthæi.

CXXXIV.

*Si exceperint, Romanam nihilominus fidem per totum orbem diffu-
sam, extendere se ad omnes gentes, & omnia regna, responsio in parato
est 1. quòd petant principium, & contradicant experientia. 2.
quòd non sufficiat amplitudo ad demonstrationem fidei Catho-
licæ: Isto enim respectu Catholicus fuisset Arianismus, esset Ju-
daismus. 3. quòd sequatur, fidem Apostolicam non semper esse
Catholicam, quia tempore persecutionum & Arianismi, non
extendit se ad omnia regna, & idem circa finem mundi futurum
esse, prædictum novimus *Matth. 24. v. 24. Luc. 18. v. 8. Apoc. 13.* Ni-
hil ergo moramur toties jactatam Papatus amplitudinem, sed
cum *Augustino* dicimus ex t. 6. l. de unit. Eccl. c. 4. *Quicumq; de ipso
capite à Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in
quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia.**

CXXXV.

*Nos sumus verè
Catholici.*

II. Si Catholicorum nomen nobis invident, rem ipsam ta-
men nunquam detrahent. Nostra doctrina ab Apostolis in uni-
verso mundo est annunciata: nostra doctrina ab omni ætatis &
conditionis hominibus recipitur: nostra doctrina omnibus se-
culis extitit, licèt nō eodem modo: nostra deniq; doctrina cum
omnibus scriptis Biblicis per omnia concordat. Nos igitur veri
sumus Catholici, licèt ab adversarijs minimè dicamur Catho-
lici.

lici. Neq; obstat ritulus *Lutheranorum*, quem nobis ipsi tribuunt, *De nomine Lutheranorum.*
neq; nos adeò respuimus, si discretionis causâ & ad consensum
cum Luthero indicandum adhibeatur. Aliàs enim sequeretur,
Monachos Papales ne quidem sensu Papistico posse dici Catho-
licos, quia ab authoribus regularum suarum accipiunt nomi-
na, dum alij dicuntur *Bernardini*, alij *Franciscani*, alij *Dominicani*.
Imò nulli Romanenses forent Catholici, quia omnes à capite
suo Papa appellantur *Papistæ*. Excipit Jesuvvita p. 226. nos à Lu-
thero ut sectæ principe *Lutheranos*, se à Papa, tanquam ab officio Ecclesiæ su-
premo *Papistas nuncupari*, quod ipsum non tollat nomen *Catholicum*. At ve-
rò falsum est, quòd de Luthero nostræ fidei principe adducit.
Nō primus fuit inventor authorq; religionis nostræ, sed doctor
& propagator, à quo denominamur non tanquā ab hæresiarcha,
sed tanquam Ecclesiæ reformatore, qui nobis præfuit & Ecclesi-
am gubernavit, quale cognomen Catholico non adversari
Chryostomus testis est hom. 33. in Acta Apost. Quo igitur sensu se
Papistas vocant, nempe quia Papam sequuntur, & cum ipso
consentiunt, eodem nec alio nos Lutherani dicimur. Si ergo
nomen Papisticum non contrariatur Catholico, utiq; nec Lu-
theranorum huic opponendum erit.

CXXXVI.

Neq; porrò *paucitas fidelium* Catholicismo nostro quicquam *De paucitate fidelium.*
derogat. Fuit olim Apostolorum tempore nostra fides satis dif-
fusa, licet nunc juxta Christi & Apostolorum vaticinia in ma-
gnas angustias sit redacta. Quare *Liberium* imitabimur, Episco-
pum Romanum, cui cum Constantinus, Imperator Arianus,
paucitatem adstipulantium exprobraret, respondisse fertur:
*Non diminuitur solitudine mea verbum fidei. Nam & olim solum tres inven-
ti fuere, qui edicto resisterent, apud Theodoretum lib. 2. c. 16.* Ne tamen
nos nimis coarctatos credant, *Bellarminum* suum audiant, qui fi-
dei nostræ celerem propagationem, & amplam diffusionem sa-
tis admirari nequit, quando in *præfat.* primo Controversiarum
tomo præfixa sic scriptum reliquit: *Quis ignorat pestem Lutheranam
in Saxonia paulò antè exortam, Mox Germaniam penè totam occupasse: inde
ad Aquilonem & Orientem profectam: Daniam, Norvvegiam, Suetiam, Go-
thiam, Pannoniam, Hungariam absumfisse: cum ad occidentem & meridiem*

Pari celeritate delatam & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna BREVI TEMPORIS populatam; ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usq; penetrasse? Hæc quomodo Reihing cum thesi suâ de Ecclesiæ nostræ angustia conciliare queat, ipse viderit.

Fundamentum decimum.

UNITAS ET CONCORDIA.

CXXXVII.

In qua religione summa credentium regnat concordia & unitas, ea præ reliquis eligenda & recipienda est. Sed in religione Papistica, non Lutherana, regnat summa credentium concordia & unitas. Ergo religio Papistica, non Lutherana, præ reliquis eligenda & recipienda est.

CXXXVIII.

Ad hoc argumentum prolixè in AntiLæssio respondi part. 2. confid. ult. cumq; omnia repetere, & tædiosum sit & infructuosum, eò Iesuitam remissum volo. Summa responsionis hæc fuit. I. AD MAIOREM. Ecclesia quidem dicitur una, ideoq; datur in ea consensus; non tamen contrà, ubi consensus, & unitas, ibi statim est veritas, cum & hæretici in falso consentiant, & orthodoxi in minus principalibus haut rarò dissentiant. II. AD MINOREM. Pontificij doctores consentiunt quidem exterius & ex parte, non tamen vera est consensio, sed 1. Satanica. 2. Politica. 3. beluina. 4. Ischariotica. 5. tyrannica. 6. Herodiana. 7. externa & accidentalis; consistens in ceremonijs & cultu visibili, non in ipsa interna unitate fidei, circa quam dissentiunt partim generaliter, quoad ipsum corpus doctrinæ Papisticæ, quæ aliquoties mutata fuit, & quintuplex est, nimirum 1. Lombardica. 2. Thomistica. 3. Monastica. 4. Interimistica. 5. Iesuvitica: partim specialiter circa articulū de dubitatione, de communicatione sub una specie, de potestate Papæ, de voto continentie & jejuniis quadragesimali, de

Qualis in Patre sit unitas.

de peccato originis, de efficacia gratiæ, de Concilijs & Eucharistia, inque multis alijs, quæ summam recensui. Si circumstantias mutatae fidei sibi indicari desiderant, impudens hoc postulatum est, quia mutatio fuit non subitanea, sed lenta, cujus circumstantiæ non semper observantur aut annotantur. Causæ autem mutationis fuerunt. 1. Nimia Patrum veneratio. 2. Romanorum Episcoporum ficta in spiritualibus potestas & jurisdictio. 3. Scholasticorum philosophica speculatio. 4. Scripturarum rarissima lectio, & 5. orthodoxorum violenta oppressio.

*Cæcæ militis fidei
Ecclesie Romanæ.*

CXXXIX.

Quod nostras dissensiones attinet, antiqua est illa objectio, Christianis primis sæpè occentata; sed respondemus breviter, In religione nostra triplicem reperiri concordiam, nempe 1. *Canonica* cum Prophetis & Apostolis. 2. *Ecclesiasticam* cum Orthodoxis Patribus, qui licet suos nexos habuerint, in Centurijs notatos, in plurimis tamen nobiscum fenserunt. 3. *Internam vel fraternam*, quam velut unius fidei confessores invicem alimus, quæ est 1. immutabilis. 2. vera & libera. 3. essentialis vel interna. 4. & realis, quam nequaquam turbare potest *hereticorum & schismaticorum multitudo*, quia non sunt ex nobis, licet exeant à nobis. 2. *nec Confessio à Augustina variatio*, quia in articulis & re ipsa nihil mutatum, vel si quid ab alijs innovatum, id minimè agnoscimus: 3. *nec contradictiones Lutheri*, quippe quæ fictæ sunt & apparentes, non autem reales & veræ, quales in Jure Canonico ac scriptis Papisticis passim reperuntur: longeque aliud sit contradictio, & aliud prioris sententiæ mutatio, ob quam si Lutherus est vituperandus, non minus è Patrum numero *Augustinus* ob Re-tractationum libros eximendus erit.

Triplicis Concordia in notis Ecclesijs.

De undecimo & duodecimo fundamento.

CXL.

Nulla in ijs nova ratio producitur, sed priora tantum argumenta repetuntur, & quibusdam rhetoricis coloribus pinguntur. Ita enim disputat Jesuivita ac si convicti essemus, quod doctrinam novam teneamus, quod unius ætatis doctores simus, quod antiquitatem spernamus, quod Patres omnes & in omnibus nobis

M 2

nobis

nobis aduersentur, quòd privatum sensum in Scripturis exponen-
 dis sequamur, & Ecclesiæ iudicium nec consulamus, nec audia-
 mus, quæ omnia cum pueriles sint principij petitiones, meraq;
 calumniæ, hæctenus satis discussæ & explosæ, Nos receptui ca-
 nimus, pedesq; hîc figimus, Deum vere Fidei Doctorem, cunctorumq;
 Fidelium ductorem unicum, ex animo & devotis gemitibus invocantes, ut
 conservet vineam, quæ inter nos plantatur, ut regat vineæ cultores, quibus se-
 ra plurimæ insidiantur; ut foveat cultorum Nutricios, qui ad *ἁποστασίου* sa-
 pius sollicitantur. Pater optime, Jehovah maxime, reduc errantes,
 confirma titubantes, custodi constantes, ut sanctificetur nomen,
 adveniat regnum & fiat voluntas tua, nunc in terris, olim in cœ-
 lis, quò post certamen, quòd certabimus masculè, & cur-
 sum, quem consummabimus piè, cum omnibus Electis nos
 transferas, & cœlestis Hierosolymæ beata visione semper
 exhilares, Interim tibi Pater sancte, quo disponente, Fili san-
 cte, quo promovente, Spiritus sancte, quo illuminante primùm
 credidimus & porrò credituri sumus, Tibi vero Deo, in Trinitate u-
 ni, & unitate Trino, omnis veritatis fonti & propagatori sit gratia,
 sit gloria & benedictio nullis seculis termi-
 nanda, A M E N.




05 A 932

ULB Halle 3
003 761 576


10/12
001





MURI BABYLONIS

Romanæ,

Hoc Est,

CONFICTA RELI-
GIONIS PAPISTICÆ FUN-
DAMENTA XII. à JESU VVITA

JACOBO REHLING
quodam nuper explicata, sub titulo;

MURI CIVITATIS SANCTÆ,

*Quorum demolitionem, succinctis thesibus
comprehensam,*

Sub auspicijs Sacrosanctæ Trinitatis,

PRÆSIDE

BALTHASARE MEISNERO

Dreldensi, SS. Th. D. & Profes-
sore P.

*Pro summo in Theologia gradu consequendo
Publicè defendet*

M. JOHANNES RODENBORCH

Antverpianus, Humanitatis Poeticæ
Profess P.

Ad d. ult. Junij horis ante- & pomeridianis.

Wittebergæ Typis Johannis Gormanni Anno 1615.